HENNINGI RENNEMANNI ... DE JURE RETORTIONIS CONTRA VERBALES IN JURIAS HODIE...

Henning Rennemann, Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
23 II
31

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13.7.M.7

Digitized by Google

Digitized by Google

HENNINGI RENNEMANNI PAPÆBURGI SAXONIS BRUNSV. JURISC. ET PROFESSORIS IN Academia ERFURTINA

De Jure

RETORTIONIS CONTRA VERBALES INJURIAS HODIE PASSIM USURPATÆ:

Num illud eo, quo freqventatur hodie, modo, ſive ex jure Divino: Ethico: Politico: ſive ex Romano; Germanico: vel Saxonico probari: et pro CHRISTIANORUM Tribunalibus: vel inter ipſosmet privatim tolerari poſſit?

COMMENTARIUS

In tres partes diſtinctus: cum Indice ſummario

Ex Legato Illustriss: Gozzini

.†*.*†*.*†*.*†*.*

JENÆ

Impenſis JOHANNIS BIRCKNERI Bibliopolæ Erfurtenſis.

ANNO CHRISTIANO CIↃ. IↃCXXIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILISSIMO

Virtutis, doctrinæ, & antiquæ Proſapiæ Splendore

VIRO

DN. JOHANNI CHRISTOPHORO, von Harſtal/ auff Mila/ Cam̄erforſt/ vnd Catharinberg/ etc. ARCHEPISCOPATUS MOGUNTINI CONSILIARIO, ET VICEDOMINO apud ERFURTINOS, Domino et Patrono meo plurimum colendo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



I diſciplinarum omnium, qvas excogitavit uſqvam humana Ratio (Theologiam enim hic exceptã volo) perluſtraveris Encyclopediam: nulla unqvã hæreſis in tantum ſuos ſectatores diſpendium inlexit; qvantam illis humanæ Avctoritatis argumentum ſeculis omnibus perniciem machinata fuit. Sive enim verum fuerit: ſive à vero aberrarit: qvod Avctor reliqvit diſcipulis ſuis, præceptum: profecto peccatum utrobiq; fuit, et enormiter qvidem: atq; cum magno rei litterariæ detrimento: cum, qvæ dicta erant ab his, qvos probabant illi, tueri conſveverunt. *Priori* enim caſu *obeſt his, qvi diſcere volunt, avctoritas eorum, qvi ſe docere profitentur*: qvia *deſinunt* diſcipuli *ſuum adhibere judicium*: et *id habent ratum* dumtaxat: *qvod ab eo, qvem probant judicatum vident*: idq; Pythagoræ diſcipulorum more: qvos ferunt: *ſi qvid adfirmarent in diſputando, cum ex iis qværeretur: qvare ita eſſet*! reſpondere ſolitos: *ipſe* (Pythagoras) *dixit*. Qvos ſe probare non ſolere, prudentiſſimus fatetur *Cicero 1* de nat: Deor. ſummopere miratus: tantum *præjudicatam apud illos opinionem potuiſſe: ut etjam ſine Ratione valere potuerit*

potuerit ipſis Avctoritas! Ex hoc enim illud incommodi ſeqvitur:ut his, qvæ a majjoribus inventa ſunt,illi contenti:'nec in horum veritatem inqvirant: nec aliis pluribus perveſtigandis ullam impendere velint operam: cum tamen veritatis inqviſitio pateat omnibus; cum *non præobcupata ſit a majjoribus* noſtris:cum *multum ex illa etiam futuru ſit relictum*: cum *qvi nobis illa moverunt, et tradiderunt: non Domini noſtri*: qvibus neceſſariò parendum eſſet: ſed *duces tantum fuerint*: et qvidem in iis rebus: qvarum nondum ſatis eſt explorata veritas; ſed qvæ adhuc indies eſt amqvirenda; aſt *qvæ nunqvam invenietur: ſi contenti fuerimus inventis*. *Qvi enim alium* ſine certo ſuo proprio *ſeqvitur* judicio: *nihil invenit:immo nec qværit*: ut *Seneca* ſapientiſſimus in epiſtola ſua 33. adcurate diſſerit.

Poſteriori verò longe gravius delinqvitur: cum qvod falſum et erroneum pro vero propagatur ad poſteros: et magis dilatatur indies à cæcis cæcorum ducibus! *Nulla* enim *res majjoribus malis Diſciplinas implicat*: qvam cum Doctores poſteriores ad priorum, et *majjoris partis traditiones*, ſine proprio judicio *componuntur*: optima rati ea: *qvæ magno adſenſu ſunt recepta; qvorumq; exempla nobis multa ſunt:cum non ad Rationem:ſed ad ſimilitudinem vivimus*. unde iſta *tanta coacervatio aliorum ſuper alios ruentium*. *Qvod* enim *in ſtrage hominum magna evenit: cvm ipſe ſe populus premit: ut nemo ita cadat: qvin alium ad ſe adtrahat*; et *primi exitio ſeqventibus ſint*: ſic in omni diſciplinarum genere adcidere;id videas licet.*Nemo ſibi tantum errat: ſed alii erroris auctor eſt,et cavſa. Nocet* enim *adplicari antecedentibus: et dum unusqvisq; mavult credere: qvam judicare:nunqvam* de præcepto diſciplinæ *judicatur: ſed ſemper creditur; verſatq; nos et præcipitat traditus per manus error: alienisq; perimus exemplis*: ut idem *Seneca* graviſſime diſſeruit in lib. de vit. beat.cap. 2. de ſui temporis moribus conqveſtus: qvi nobis meliores adhuc hodie in diſciplinarum ſtudiis non ſunt: immo tanto pejjores: qvod ſanioribus monitis ſolo *Avctoritatis* faſcino dementati locum huc uſq; nullum dederunt pleriq;. Contemplare Facultatem *Medicam*:cernes *Hippocratem*; cernes *Galenum* ſceptra gerentes: qvibus cum Patrum noſtrorum memoria contradixerat *Phil.Theophraſtus Paracelſus*: proh hominum fidem,qvantas hic *Medicorum* Schola turbas dedit, necdum ſedatas.Circumſpice in theatro *Philoſophico* parietes omnes:ſolum videbis *Ariſtotelem* pro Tribunali etjam in media, ut teſtatur *Des. Eraſmus Roterodamus* in prov. *Dulce bellum inexpertis*,Theologia ſic imperantem:ut,qvi vel leviter oraculis ipſius refragari ſit avſus,explodatur ilico non tantum; ſed omni capite deminuatur: qvod clariſſimi nominis, et integerrimæ vitæ ſinceriſſimus

Digitized by Google

mus Philoſophus, *Petrus Ramus* eſt, non modò dum vixit expertus: ſed tantum cepit *Ariſtotelicam* ſectam ipſius odium: ut illud crudeliſſimo mortis ſupplicio, in *Matutinis Pariſienſibus* ex inſtinctu *Jacobi Carpentarii Ariſtotelici*, qvi immiſſis in ædes in qvib. ope Diſcipulorum abſconditus fuerat, Sicariis proditionem adjuverat, ut refert celeberrimus *Gallorum* Hiſtoricus *Jac. Aug. Thuanus* lib. 52. exſatiari non potuerit: cum adhuc in ipſius ſectatores id exacerbetur indies. Ingredere Forum *Juridicum*, et oculos circumvolve: diſcernes *Juriſprudentiam* olim bipedem: et erecto vultu, per *Leges juſtas* et *honeſtos Mores* æqviſſimo graſſatam gradu: ſed hodie ſcipione *Communium Opinionum* adſumto tripedem, fœde incurvam, et in utrumvis latus ægre claudicando, et titubando, vix progredi poſſe. Miſerati vicem illius, Scipionem hunc à vermibus exeſum extorqvere ſunt e manibus Iudicum conati, doctiſſimi *Galli*: *Coraſius*, *Duarenus*, *Connanus*, *Cujjacius*, *Forcatulus*, *Robertus*, *Hottomannus*, *Molinæus*, et inter primos cum aliis qvibuſdam *Donellus*: et una cum his nuper acutiſſimi vir ingenii Dn. *Antonius Faber*. Tentaverunt idem cordatiſſimi *Germani*: *Huldrichus Zaſius*: *Johannes Oldendorpius*: *Nicolaus Vigelius*, et alii; ſed perqvam pauci. Qvid obtinuerunt? exploſi ſunt, deriſi: et cum libris ſuis pæne ſubpreſſi, maximo cum Reipublicæ detrimento: cum cernere ſit hodie: multas inrepſiſſe ſub *Opinionum communium* mantelo, et has qvidem in Reipublicæ perniciem, à Malo Genio, in vim ſanctiſſimarum Legum, promotas *prolepſes*: ad qvas in ſententia ferenda Judex, niſi litem facere ſuam velit, adſtrictus eſſe vulgo cogitur et creditur. Inter qvas poſtrema non eſt: qvam vulgo ſub jure *Retortionis* circa *verbales* venditant *injurias*: ad cujjus ſtabilimentum firmius faciendum hæc *αἰτήματα* vulgo jactitari videmus: qvod (1) ut arma armis: ſic *injuriam injuria propulſare* liceat: qvod (2) vir bonus maledico dente falſi criminis inſimulatus, infamiæ macula hoc ipſo conſpurcetur: qvod (3) illam per Retortionem obpoſitam puriſſime poſſit abſtergere: qvod (4) retorqvẽdo licitum ſit dicere: *tu mentiris*: qvod (5) liceat hoc exaggerare: *tu mentiris ut fur, latro ſceleſtus, proditor, adulter, prædo &c.* qvod (6) non tantum præſens præſentem poſſit, in continenti retorqvendo, ſic injuriam injuria contraria relædere: ſed (7) qvod idem licitum ſit ex intervallo temporis ſatis longo, per libellum retortivum, teſtato, et plerumq; cum Notario abſenti inſinuatum: qvod (8) contra hanc Retortionem mutire non auſit Retortione pulſatus: qvod (9) injuriâ adfectus retorqvendo jus actionis injuriarum amittat penitus: et qvæ ſunt alia hujjus generis emblemata: ſi Dis placet! Qvi fieri poteſt enim aliter: cum *dato inconveniente uno*:

ſeqvantur infinita? Si qværas: qvo jure, et qva lege, tradantur hæc omnia? Silentium hic eſt altisſimum: cum vix unus, atq; alter ex toto juris corpore proferatur apiculus: et hic qvidem havt congrvè citatus: ut ſatis admirari neqveam juriſconſultum magni nominis in celeberrima qvondam *Academia* JULIA: qvi *Retortionem* injuriæ verbalis *omni jure licitam* qvi et alium non minus celebrem in Academia *Gieſſena*: hoc *indubitati juris eſſe* confidenter adſeri cum tamen nullius id juris textu, præter l. 25. et l. 14. ſæpius, ſed impertinenter adlegatas, probatim dederunt. Si *Rationem* qværas: ſi SS. *Scripturæ* præcepta; ſi *Philoſophorum dogmata*, et *Prudentiſſimorum* exempla: ſi Jurisprudentiæ principia: in contrarium ſenſum proferas: ſub *Communium Opinionum* ſcutulo nobis obcurritur: â qvibus recedere non avſit judex: qvidqvid dicat *Theologus*: *Philoſophus*: et hic, vel ille *Juriſconſultus*. *Opinio* hæc pro Retortione faciens eſt *communis*: *communior*: immo *communiſſima*; ſi placet. Si penitus inqviras: qvinam illi ſint *Doctores* pro *Communi* tam fortiter pugnantes: ſi inqviras in hoc: unde reliqvi ſuam traxerunt Originem: qvi ſolam, et nudam comprobant *Mentitam*: ut illi loqvuntur in cauſſa Barbara ſatis barbare: res redit ad ſolum *Bartolum*. Si in hos, qvi *Mentitæ* adjunxere: *fures, ſceleſtos, latrones, adulteros*, et ejjus farinæ plurimos; recurritur ad ſolum Dn. *Ludolfum Schraderum, Brunsvicanum* qvondam Acad. Francofurtenſis ad Oderum Anteceſſorem famoſisſ. Has duas prævolantes ſeqvuntur aves reliqvæ, *Trans*, et *cis Alpinæ*: De illarum *Rationibus*, qvibus commotæ ſtatuerint hoc, vel illud, ſecuri penitus: Gallis tantum plerisq; exceptis: qvorum in ſtomacho navſea fuit ab hac inſipida traditione excitata. Olim Judex *erubeſcebat loqvi ſine Lege*: hodie non eſt opus: illi Lege: qvi loqvitur cum *communi Opinione*. Aſt hoc falſisſimum eſt in jure ſacratisſimi Imp. noſtri *Juſtiniani*, principium: non modo nulla ſubfultum Lege: ſed contra manifeſtas Leges, et Impp. ſanctiones intruſum: immo contra *Rationem*, et totius *humanæ Sapientiæ* principia temere: et, ne qvid dicam gravius, imprudenter ex unius, atq; alterius cerebello excuſum nuper. Juris Romani peritia ſpectabilis M. T. *Cicero* longe alio hanc cavſſam modo diſſerit: et redarguit illum: qvi *in diſputando non ſuum judicium ſeqvebatur*: ſed *auctoritati aliorum parebat*: l. 1. de *Leg*. *Hac ego Philoſophi non arbitror*, inqvit idem, *teſtibus uti*: qvi *aut caſu veri: aut malitia falſi, fictiq;* eſſe posſunt. *Argumentis et rationibus oportet, qvare qvidq; ita ſit, docere: non eventis*, (addam ego, *Communibus opinionibus*) *iis præſertim*: *qvibus mihi liceat non credere*: lib. 2. div. L. *Annæus Seneca* in avla Rom. Impp. diutisſime verſatus, et qvidem eo tempore, qvo florentisſima fuit cum Im-

perio

Digitized by Google

perio Romano *Juriſprudentia* hoc *communibus opinionibus* argumentum ſuperſtructum,et illius propugnatores ſalſisſime deridet: *qvi pecorum ritu ſeqvantur antecedentium gregem:pergentes,non qva eundum eſt: ſed qva itur.* Atqvi *nulla res,*inqvit,*nos majioribus implicat malis:qvam cum ſtat contra Rationem defenſor ſui mali populus*: h. e. *communis opinio*: *nec unqvam felix eſt exitus illius judicii: in qvo lis ſecundum plures datur. Nec eſt, qvod illud diſceſſionum more reſpondeas: hæc pars* (communis opinio) *majjor eſſe videtur. Ideo enim pejjor eſt. Neq; verò tam bene cum rebus humanis agitur:ut meliora pluribus placeant.* Qværamus: *qvid optimè factum ſit*: (qvid cum *legibus* et *moribus honeſtis* conveniat:) *non qvid uſitatisſimum*: (communi placitum opinioni) dicit *Seneca* lib. de beat. vit. cap. 2. Ergone ſpernenda *communis opinionis* avctoritas? Si qværis: avdi eundem *Senecam* d. epiſt. 33. reſpondentem: *Qvid ergo? non ibo per priorũ veſtigia*? Ego verò inqvit, *utar via veteri*:ſed ſi *planiorẽ propioremq; invenero: hanc muniam.* Utinam hæc ratio docendi, diſcendiq; jura noſtris perſvaderi, in *Schola, Foroq;* jura tractantibus,poſſet! ut illa obtrita, et ſalebroſa per longas *opinionum communium* ambages, via derelicta, et ex Labyrinthæis flexibus egredientes non amplius per inobſervabiles, ut cum Catullo loqvar, errores in iniqvitatis et injuſtitiæ præcipitia relaberentur: ſed cum Sapientisſimo *Seneca viam* juſti, et æqvi *propiorem et planiorem* munirent. Exemplum, ego in hoc dogmate *Retortionis* confutando præbui: *viam planiorem*, ut arbitror, inveni: et hanc, *via veteri præterita*, ad occaſionem nuper oblatam, munivi. Ex qvo enim tempore mihi hæc vulgo recepta *Retortionis* traditio in jure diſcendo obcurrit: dogma ſuſpectum mox illud habui: qvia cum *Theologicis*, et *Philoſophicis* neq; *præceptis*: neq; *exemplis* illud conciliari poſſe etjam olim putabam. Avctoritas tamen, ut verum fatear, præſtantisſimorum *ICtorum*, maxime recentium: in primis verò ſinceriſſimi, et eruditiſſimi viri Dn. *Henrici Boceri*, Salcateni Veſtfali, qvem adoleſcens in Academia JULIA privatim docentem; et publicè magno cum adplavſu de jure diſputantem avdivi: et ab eo tempore in ſuis commentariis præceptorem ſemper colui, me ſic commovebat: ut impoſſibile factu putarem: qvod dexterrimi ingenii, et doctrinæ maximæ vir, inprimis verò melioribꝰ et ſincerioribus *Logices* ſtudiis imbutus, id adprobaſſet: niſi rationibus egregiis demõſtratũ ſcivisſet. Qvo præjudicio perplexꝰ in bivio ſteti qvidẽ, judicio meo interim ſuſpẽſo: cõcoqvere tamen tam inſulſa, qvæ huic Opinioni ſubſternũtur vulgo, poſtulata in mẽte mea nũqvam potui: donec tãdem horis, ſubceſivis in hujjus

Opinionis

Digitized by Google

Opinionis Avctores, qvotqvot eorũ in promtu habere potui, et ipſorum *ra-tiones* inqviſivi: ſed præter opinionem meam nihil omnino *Rationu ſolidæ*, cui inniti hoc adeo famoſum dogma potuiſſet, in hac opinione animadvertere potui. Qvæ res hoc in animum meum induxit: ut hæc *communu* de *Retortione* concepta, tanto cum adplavſu Doctorum *opinio*, reliqvas omnes *communium Opinionum* catervas, in longe majjorem apud me ſuſpicionem provocarit.

Qvod avtem hunc meum tuo, Vir Nobilisſime, Nomini præclaro dedicare commentariolum non erubui: mirabuntur fortaſſe non pavci: qvando ſibi, qvod inter *Nobilium* vulgus *Retortionis* ſtudio, qvod ex animis et lingvis hominum eradicandum venio, nihil freqventius: et ea propter à qvibuſdam ex noſtris Dd. peculiari, ut etjam a verbis ad verbera progredi poſſit, privilegio donatum ſit, in mentem venerit. Et ſane ſi te noviſſem illorum ſimilem; qvi in converſationibus, et conloqviis cum tertio qvoq; verbo ſanctiſſimum DEI nomen; *Redemtoris* noſtri *vulnera, paſsiones, morbos, Sacramenta, et* Omnipotentis Creatoris *elementa*, perjuriis, blaſphemiis, exſecrationibus, et maledictis conſpurcare: Deo judici ſeveriſſimo ſuum corpus, et animam æterna pernice multandam: et *Dei*, atq; generis humani crudeliſſimis hoſtibus *Diabolis* ſe in Gehennam abſportandos devovere: omnes ſermones obſcoenitatis, impudentiæ, et immodeſtiæ, maculis turpiſſime denigrare: et tandem ad leviſſimam qvamvis obcaſionem in *Retortiones* acerbiſſimas prolabi: et has *provocationibus ad duellum*, et humani ſangvinis effuſionem definire ſunt adſvefacti: non immerito temeritatis coargvi poſſem. Qvia avtem ab annis plus minus XXV, te tabem cognovi: qvi rariſſimo inter *Nobiles* exemplo, à primis adoleſcentiæ annis, in hanc uſq; virilem ætatem id operæ dediſti: ut non tantum *Genere*: ſed et *virtute*: et *doctrina Nobilis* cluere poſſes: et tui Stemmatis claritatem *integritate vitæ, morumq; optimorum*, et *doctrinarum* Studiis, illorum, qvi non aliis: qvam nudis natalium inſignibus, qvalitercunq; ſe jactare poſſunt, conſortio, et exemplo penitus evitato, longe ſplendidiorem faceres: et ante pavcos annos, præſens ipſemet his oculis meis conſpexi: qvanta cum animi magnitudine, ſimul ac patientia, cujjuſdam injuſtas ex *nobilitate* criminationum injurias, et ad duellum provocationes, non recepto hodie inter *Nobiles* æqve, atq; plebejjos *Retortionum*, et *recriminationum* more peſſimo, vel verbis: vel verberibus: qvod *Communis* Doctorum noſtrorum vult *Opinio* relæderes: ſed *ordinaria juris* via, *Magiſtratus* implorata ſuperioris *vindicta*, legitime te defenderes: hoc menti meæ erga *Vir-*

Digitized by Google

ga *Virtutem* tuam vere *Nobilem* fiduciæ robur induxi: & in hanc erexi me ſpem non dubiam: fore, ut hanc meam de *Retorſionis verbalis* jure, in *Deum, Magiſtratum & bonos mores*, injurioſo nimis, commentationem, iniqvo minime eſſes animo laturus. Qvid enim qvæſo proſtaret: qvod in viro *verè Nobili*, h. e. ultra ſangvinis antiqva laude clari propaginem, omnis generis *virtutum*, & *optimarum artium* ſtudiis excultisſimo, ſiniſtrum mihi, de non bene adcepto, qvod ex animo ſincero obſerretur, munuſculo metum incutere valeret? Siqvidem verisſimum eſt illud: qvod *inter bonos bene agier* oportet. Vultu igitur hoc, qvidqvid eſt, *Nobiliſſime* vir, adſpice benigno & animo ſuſcipe benevolo: & ſi qvando dabitur â publicis, & privatis rebus diſponendis aliqvid otij: in negotium id hoc converte qvæſo: & rem judicio, qvo pollet virtus tua, prudentisſimo ſic expende: ut Doctorum judicia *non numeranda*: ſed, qvod præceptum eſt Senecæ prudentisſimum, *æſtimanda* cenſeas, ut non *qvis dicat*: ſed *qvid dicatur*, ad trutinam non præobcupatæ *Rationis* ponderetur: adeoqve ex hoc ungve, *Communium opinionum Leo Cumanus* dignoſcatur. Qvod ſupereſt: te cum conjuge, lectisſima: & feliciter educata Prole Divinæ clementiæ pro diuturno valetudinis proſperæ ſtatu commendo: & mea *Virtuti* tuæ ſtudia, ſi qvando fuerit opus, prompta parataqve ſemper obſero. Vale feliciter, & qvod hactenus feciſti, vive & tam ſapienter: qvàm prudenter. Qvod vovebam Erfurti, ex Muſeo meo in Saxonum Conlegio: poſtrid. Idus Sextiles. ANNO Chriſtiano CIↃ. IↃC. XXIX.

Tuæ virtutis.

Obſervantisſ.

HENNINGUS RENNEMANNUS

Prof. Juris.

QVÆSTIONVM PRÆCIPUARUM INDEX.

Actionum pluriũ circa eandem rem ſed ad res diverſas ſpectantium alia aliam conſumit. pag. 144

Actiones injuriarum non removent contumeliam inlatam: ſed perſeqvuntur pœnam. 145

Calumniis adſperſo ſemper aliqvid adhæret. 29. 140

Ceſſante cauſa ceſſat effectus. 148

Chriæ qvid? 99

Compenſatio habeat locũ in delictis. 119

Doctores juris in conſiliis ſuſpecti. 128

)b(*Error*

Error communis non facit jus. 16
Factum non poteſt infectum fieri. 25
Famæ ſuæ rationem habet vir bonus. 168
Fama & vita non ambulant pari paſſu. 78
Gnomæ qvid. 99
Honeſtum, non qvid utile ſpectandum. 125. 136
Infamia facti ex facto proprio, non alieno adſpergitur. 150
Infamis non fit, cui factum infame convicium. 141. 172. 174. 175. 30
Injuriarum actio judicialis prodeſt ad defenſionem honoris: non retortio. 91
Injuriarum Revocatio ad animum qvalis eſſe debeat. 109. 121. 169. 182
Injuria verbalis retorqveri neqvit. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 67. 81
Injuriæ qvænam ſint muſſitandæ: non refellendæ. 35
Injuriæ verbalis vulnus rectè ſanari poteſt per actionem injuriarum. 25. 27. 29. 30
Injuria verbalis per ſe boni viri famam non lædit. 30. 43. *ſed tantum in auditorum malorum animis.* 181
Injuriæ plures uno impetu cumulatæ faciant unam tantum injuriam. 183
Injuriam verbalem inferens debet objecti delicti adcuſare diffamatum ſub pœna infamiæ. 175
Injuria fit: tu dicis falſum: 55. 105. 106
Item: tu dicis mendacium. 100
Injuria cum injuria non compenſatur ſed utrinq; nomine agitur. 107
absq; Lege erubeſcimus loqvi. 51
Mendaciū dicere: & mentiri differunt. 111
Mendacis & mendacij turpitudo. 110
Mentiri qvid ſit proprie. 137
Neceſſitas inevitabilis eſt violentæ vel neceſſariæ Defenſionis cauſſa: ſine qua nulla Defenſio per vim conceſſa. 24. 26
Nobilis pro mendacio non debet ad verbera procedere. 11. 94
Opiniones ſeqvuntur Doctores plerumque ſine judicio. 15
Opinio Communis non facit jus: 83. 84. 191. 193
Reprobatur à Theologis, Juriſconſultis, Philoſophis. 85. 86. 87
Opiniones communes plerūq; Juriſconſultis Gallis exoſæ. 194
Opinio de jure Retortionis qvænam ſit cōmunis; vel communior. 186
Philoſophia, Juriſprudentiæ principium. 22
Philoſophi abhorrent à retortione injuriarum. 33. 37. *& ab illarum vindictâ.* 35. 40. 44
Philoſophi beneſecerunt injuriam facientibus. 44. 45
Præcepta Evangelica Matth. 5. non ſunt consilia. 62
Proceſſus Judiciorū hodie corruptiſſ. 174
Pœnitentia tollat obligationes injuriarum. 148
Rectum index ſui & obliqui. 57
Retortio à privata auctoritate vindictam exercet. 20. 58. 61. 65
Retortionem non excuſat neceſſitas: qva nulla cogitur retortor. 27. 29. 32
Retortio non abſterret Conviciatorem ab injuria: ſed potius exaſperat. 29. 30. 38. 39

Retortio

Retortio non poteſt purgare maculã famæ injuriati adſperſam. 30.137.140.169
Retortio nullam poteſt verbalem injuriam propulſare, nec factam, nec faciendam. 25.26.27.28.29.30.31.81.67
Retortionis ope non indiget bona conſcientia fretus. 42
Retorqvere liceat convicium non competens remaledicto. 108
Vir bonus Retortione non percellitur. 41.42
Retortio infamia maculet remaledictum 109. ut ſit retorto convicio ſpurcatus. 138 137 150.172.174.175
Retorquens transferat convicij ſibi facti infamiam in facientem. 172.173
Retortio nulla ſine vindictæ animo, & ſine impatientia. 59.72.143.150
Retortio qvædam licita, per inverſionem, ſine rancore, verè objectam maculam remittens in avctorem. 95.101.169
Exempla Retortionis licitæ. 96.97.103
Retortio licita differt à vulgari. 103
Retorqvens injuriarum actione conveniatur à conviciatore. 139
Retortionis idē effectus, qvi rei judicatæ. 150
Retorqvens injuriam ſi poſtea injuriæ conveniat conviciatorem non poteſt repelli ab illo, quod retorquenti non detur regreſſus. 163
Retorqvens injuriam, excidat jure actionis contra conviciatorem. 142.53.167
Retortio ſit modus tollendi actionem injuriarum. 146.156
Retortiones dari poſſe contra injurias futuras. 166
Contra mortuū & alios ipſū ſecuturos. 166
Retortio publice adfigi non debet, ſi injuria privatim facta. 167
Retorqvens ſibi ipſi jus dicit, ultor ſui, & indignus avxilio Magiſtratus. 161
Retortio ſuſtineri poteſt in vim revocandi ad animum. 162.163
Retortionem homines improbi non adtendunt, qvo minus ſiniſtre judicent de retorqvente. 30.173
Retortio ſcribendum non Retorſio. 2
Retortio judiciaria quæ. 2.3
Retortio in ſucceſſionibus. 3
Retortio in cavſſis injuriarum. 4
Retortio rectius vocatur recriminatio vel remaledictio. 4
Retortio magnum juris beneficium. 162
Retorquere verbi propria quæ ſignificatio. 149
Retortio tantū ſit verbis nō verberibus 159
Retortio quid? 6
Quo nitatur jure. 6
Qvibus rationibus. 7
Retortionis jus à quibus Doctoribus Jureconſultis ſit invectum. 7.177
A quibus idem ſit improbatum. 157.190
Retortionis jus ſtatuto tolli queat. 8.90
Retortio permiſſa omnibus. 90
Etiam Minori. 9
Subdito contra Magiſtratum. 10.92
Filiofamilias. 9.10 90
An patri pro filiofamilias. 9.91
Marito pro uxore. 9.91
Procuratori pro Domino. 9
Deportato. 9
Vaſallo contra Dominum. 10.92
Bannito. 9 92

)(2 Diſcipu-

Diſcipulo contra præceptorem. 10. 92
Infami. 9
Retortio non valet contra verum convicium 9. 183
Sed tantum contra falſum convicium. 9. 10. 93
Retortionis forma eſt: Tu menbiris. 11. 93. 110. 112
Mentiris: ut fur, ſceleſtus, latro proditorum. 11. 125
Habeo te pro fure, ſceleſto, latrone: donec probaveris. 106. 108. 109.
Retortio per libellum etiam ad injurias præſentes extenditur, ut poſtea transmittatur. 136
Retortionis quis modus tutiſſimus utiliſſimus. 12. 136
Retortio inter præſentes. 133
Quando facienda. 11
An in continenti. 134. 160 169. 170
Retortionis finis qvis. 13. 31. 106.
Retortionis effectus. 13
Retortioni poſſit obponi alia retortio. 14. 164.
Retortionum & contra retortionum formulæ. 14. 161 164. 166
Retortiones debent eſſe injurioſæ: ut relædant: & ſæpe majjorem referant injuriam: ut malum malo, convicium convicio rependant. 20. 160. 180. 21. 105. 157. 158. 159.
Retortionis exempla nulla exſtant in ſacra ſcribtura. 55. 170. 171
Retortionis primus omnium Patronus Bartolus. 182
Retortionem averſatur Sacroſancta Theologia. 4. 15. 17. 18. 55. 56. 59
Philoſophia & ſapientum præcepta. 4. 15. 40. 33.
Politia. 4. 15
Jurisprudentia. 4. 15. 52
Retorſionis fructus ſunt turbæ, rixæ, verbera, cædes. 48 49 50. 113.
Theoria & praxis Juridica ſunt paria 67
Theologia non adverſatur Jurisprudentia. 16. 17
Veritas omni auctoritati præferenda. 16
Verum liceat convicium, jactare, 93. & qvid ſi fiat ex prava intentione. 122
Verum convicium retorquere nefas vulgo putant. 10. 92
Veſpaſiani ſententia pro Retortione lata. 181. 102
Vindictam injuriarum abominati viri Boni. 33. 35. 40. 41. 44
Vindicta propria à Deo prohibita. 19
Vindicta Soli Deo & ipſius Miniſtris, Magiſtratui reſervata. 31
Vindicta propria qvando permiſſa. 17. 100
Vindictæ magnus a natura depravata adfectus. 35
Vindicare injurias qvo recte poſſimus. 46
Vis impendens ut excuſet vim repulſantem dicitur eſſe certa, non præſumta. 28
Vis inlata non propulſatur: ſed tantum inferenda. 25. 27
Vis realis: verbalis, præſens, præterita, futura. 24
Vim inlatam, ſi repetatur inferenda denuo, repellere licet. 25
Vulneratus, niſi novum vulnus impendeat, revulnerare non debet. 27. 81
Utilitas publica ſemper ſpectanda. 47.

AVCTOR

AVCTOR LECTORI
CANDIDO S. P. D.

QVod opinionis communis argumento ſæpius in hoc commentariolo ſcribam dicam: ne qvis me ſolum & primum calumnietur forſitan, provoco ad maximæ Auctoritatis viri HULDRICHI ZASII JURISCONSULTI Germani de communium Opinionum virtute Judicium vere Germanum:

Ex lib. 2. Sing. Reſp. c. 1. n. 25.

Nec te moveat, Lector, qvod me in *Doctoribus* adlegandis non involvo: ut nunc hunc: nunc illum citem: qvemadmodum novitij Legulejji folia inaniter obcupantes facere adſveverunt: oſtentationem, qvam utilitatem magis conſiderantes. Solent enim majjores ſuos carpere: ſi vel minimum verbum ex aliis dixerint, eosq; non citaverint; qvaſi pulcrum ſit: ſi & intus, & in tergo plena ſint omnia *Bartolorum, Bald. Imol. Raph. Paul. Jaſ. Alex. Salic.* aliorumq; id genus *Doctorum*. Nam ſi eos ad omne verbum citari neceſſe ſit; qvis erit aliqvando finis: cum Doctores ſuper Doctores magno ingeniorum proventu creſcant? Miſera certe ſuperſtitio: imo nugoſa vanitas! Mea ſic eſt conſtituta ratio: ut, qvid mihi videatur, dicam: measq; adſertiones textibus roborem: & ſi qvando *Doctorem* taxavero: ejjus errores recenſeam civiliter: ſi qvid ex aliis ſcribſero: cum opus eſt, avctorem non taceam. Sin verò adſeram: qvæ alij ante me adſeruerunt: non ad omne verbum eos advcham. Ad id enim adſtrictus eſſe nevtiqvam volo: ut curem, *quid alij* dixerint: ſed *quid ex veritate dici posſit.* Et profecto ſi noſtri Legulejji, qvi ante nos fuere, viri docti, idem feciſſent: ſeq; non ita ad dicta Doct: adſtrinxiſſent: innumeræ *opinionum* myriades, qvæ *Communes* eſſe dicuntur: *& tamen falſæ ſunt*; eſſent intermisſæ. Proinde *nihil apud me loci habet* harum ipſarum *Opinionum*, qvæ *communiter* circumferuntur, *avctoritas*: niſi *juris ſcribti veritas* illas ornet. Tunc enim illas & veneror: & adoro: atqve ipſis Patribus, qvi fideliter ſcribſerunt, gratificor. Sin vero in ambagibus pro cujjusq; ingenio fluctuent erratili: & ſecundum qvod caſus, qvi contingebat, lucroſus, vel damnoſus fuit, figantur, & refigantur: *iſthæc nugamenta* nec moror: nec morabor unqvam: cui præcipuum propoſitum eſt: *veritatem ubiq; ſeqvi velle*: qvantum mei fert ingenij exiguitas.

Ex prælectionibus ejjusdem : ad L. *Prætor. 7. § de iis à D. dam. inſ. n. 10.*

Primum notabile : qvod licet, & conceſſum eſt alteri ex Juriſconſultis ſentire *contra multos alios* : & contra *Communes opiniones*. Nam hic Neratius correxit ; *Alfenum* : *Labeonem* : *& Trebatium*.

Ad l. *2. § poſthunc maxima*. D. *Orig. jur. n. 17.*

Argumentum (hic colligitur) qvod *à præceptorum doctrinis non ſit facile recedendum*. Diſcentem enim *credere oportet*, ait in Elenchis Philoſophus, Et *Seneca*, præceptores deorum ritu colendos exiſtimat. Sed & hic diſcretio habenda eſt. Perſeverandum enim in eorum traditionibus fuerit, *qvoad veritas patiatur*. Non enim *bene inveniendis utetur*, ut qvidam ait, *qvi melius jam inventa contemſerit*. Qvod ſi declinarint à via ; eorum doctrina vel diſtingvenda eſt ; vel cum temperamento adcipienda ; ut honor præceptori habeatur, ſimul *& veritas adſeratur* : qvod *Caſſius* noſcitur feciſſe in l. 1. *§. adipiſcimur*. in fi. §. infra de *adq. poſſ.* l. *illud qvoq.* in prin. infra de *petit. hered.* l. *ſi cum exceptione*. §. *ſed ſi qvis D. qvod met. cav.* cum ſimil. *Temeritatis* enim notam esſe, *Pariſienſis Cancellarius* dixit ; *viros ſapientiæ gloria conſpicuos, vel ſtatim errori ſubdere* : *vel qvod temperata reſolutione placari poterat, velle ſubvertere*. At vero ſi intolerabilius aberrarint hi, qvi nos docuere : *his ab eis ſine trepidatione recedendum puto* : *Plato* enim *mihi amicus, amicior veritas*. Qvapropter *Cicero* in lib. de *Finib. bon. & mal.* levitati & inconſtantiæ adſcribſit : *avt falſum ſentire* : *avt qvod non ſatis explorate traditum ſit, velle defendere*. *Ciceronem* nulla vincula ligarunt ullius diſciplinæ : qvin ex omnibus, ut ipſe de ſe in 2. *Tuſcul.* fatetur, libaret : qvod qvenqve maxime varietatis ſpecies moveret. Sic & *Horatius* : *Nullius addictus jurare in verba magiſtri*. Qvocunqve eum tempeſtas rapuit : eo deferebatur. Proinde inſtituta qvorundam excuſare non posſum : qvi *Accurſianas gloſſas*, avt *Bartoli* ſcripta tam enixe defendunt : ut ab eis non esſe recedendum arbitrentur : ubi etjam proprio eorum conſtet judicio : *diverſum in puncto juris esſe verius*. Qvæ (malum) funeſta res eſt ! ruinoſis majjorum traditionibus ita hærere ; ut veritatis deſeratur ratio ? Qvo non reatu dignos putes : qvi lucem oſtendant : ſeqvendas tamen tenebras ſvaſerint ? Nos *gloſſas* & *Bartolum* magna veneratione dignos qvidem esſe ultro fatemur ; ut qvi obſcura qvam plurima nobis pervia fecerint : ſed non ita adſerendos : ut errata eorum tueamur. Homines enim fuere : *errori & lapſui*, pro *Ciceronis* ſententia, *ſubjecti*. Eqvidem ex

eorum

eorum doctrinis ſuccum colligo: non totas herbas devoro: ne, *dum ſalubria qværimus*, ut *Auguſtinus* dixerat: *lædentia miſceamus.* Hoc ſi juris noſtri profesſores, viri alioqvi lavdati & eminentes facerent: & non pervicacius *gloſſæ*, tanquam, neſcio cui *barbaro, inepto, & inſipido, nedum ſtultisſimo*, caroctio adhærerent: jam legis veritas planior eſſet & apertior.

Et pavlo poſt. n. 25.

Qvapropter Labeo fiducia doctrinæ fretus, non qvidem *à fune* præceſſorum, ut *Capito*, pependit: Sed ſine cortice nare perrexit: Ut & *innovaret*: & *dilataret*: qvo poſteritati conſuleret.

Et n. 28.

Eſt porro hic argumentum: *non ſemper communibus opinionibus eſſe inhærendum*: non ſemper verba togæ ſectanda: ſed *innovandum* aliqvando: dum *veritas* comitetur: cum *posſit aliqvando unius deterioris forte adſertio: peritiores alios veritatis ſententia ſuperare*: ut dicit *Imperator* in l *§ ſed neq; ex multitudine.* C. de vet. jur. enud. Fit qvoq; ſæpe: ut *communes opiniones*, non ex veritate: ſed velut ex favore conſpirato eorum prodeant: qvorum doctrinas, etjamſi textu aliqvo juris non fulciantur, tueri pergimus. Nonnunqvam etjam negligentia in cavſſa eſt: ut dum, qvæ ab aliis ſcripta ſunt, ſine altiori inqviſitione aliis tradimus: & illi aliis; & ità deinceps, facile evenit, ut *communes opiniones* oriantur.

Id n. 32.

Deniqve *opinionibus communibus* tantum tribuunt nonnulli, ut eas ſeqvi oportere conſeant: etjam ubi ſuſpicentur: *veritatem juris* eſſe in contrarium. Nos *communes opiniones* ſeqvimur: cum vel textibus muniantur; vel certe nulli textus: nullave ratio juris aperte refragetur. Alioqvin impune ab e s non ſolum recedimus: ſed etjam aliqvando nomen *communis opinionis* ſuſpectum habemus: cum ſæpenumero in re ambigua in utramqve partem *communis* citetur *opinio*: ut, qvod ratione non posſunt *communis opinionis* prætextu pergant evincere: qvod *non poteſt non eſſe multum deteſtabile*: ut pote qvod legalis ſapientiæ puritas, exitiali iſto abuſu impuretur, ſanctisſimarumqve legum ſcita, recta alioqvi, in ambiguum detruſa, pro qvæſtu huc, & illuc, ementitis forte teſtimoniis figantur, & refigantur: in vulgoqve tanqvam fravdum avcupia evileſcant.

Nec.

Nec tamen ignoro: complures eſſe bonos, eruditosq; viros, qvi eo nomine *communes* ſine alio delectu *opiniones* ſeqvantur: qvod in portu, qvam in alto mari, navigare putent eſſe ſecurius: qvos etsi nec probo: nec admodum obpugno; commonuiſſe tamen velim: ſæpe in portu periclitatos fuiſſe: qvi in alto tuti fuisſent. Petrum Salvator in profundum ducere navem jusſit, ad dexteram tamen: ut cum fructu piſcaretur. Ita nos, ſi ad dexteram nobis ſcopus dirigitur in altum; ab opinationibus recedentes: ſæpenumero *veritatis rete* cum fructu expandimus: ubi in *opinionum* portu, ſi modo portus eſt, & non navfragium, mergeremur. Conſtat præterea eſſe plerosq; qvi *communes opiniones* ideo præferunt: qvia judices eisdem opinationibus facile flecti poſſe confidunt: qvam rem, neſcio, an periculis, & qvidem præſentibus plenam putarim. Ferunt judicem qvi à *communibus opinionibus* recedat, *litem ſuam facere*: qva traditione ſimpliciter adcepta, *nihil poteſt eſſe falſum*. Eqvidem fateor, *communi adſertioni*; ſed qvæ textibus juris fulciatur; avt cvi nulla ſit lex contraria; ut ſupra diximus, hærendum eſſe: ſed in univerſum communibus niti opinionibus; ſi vel textus juris: avt ratio manifeſta repugnet; hoc nos certam veritatis peſtem dicimus, & conteſtamur: qvas niſi judex fugiat: & ſeſe: & animam ſuam damnabit: & jura partis ſubvertet. Vide qvi ſap's: qvi probus es: qvi juris veritatem amas: qvam ancipiti periculo *communes opiniones* conſiſtant. Si enim textibus fulciuntur: jam non qvia *communes* ſunt: ſed qvia juris ſunt, etjamſi ſolus qvispiam docuerit, obtinebunt: ſin textibus obvient: tanqvam ſyrtes ſunt evitandæ.

Menda Typographica.

Lege.

P*ag. 21. lin. 3. improbent. p. 30. l. 2. revulſum. p. 43. l. 15. continuis. p. 50. l. 17. qvod. l. 19 qvâ. p. 57. l. 24. adtinet. p. 62. l. 12 omnis p. 64. l. 8. regerite. p. 65. l. 26. qvænam. p. 77. l. 15. 16. cum argueret. p. 80. l. 29 transfodiant. p. 84. l. 19. cum. p. 87. l. fin. inſiſtamus. p. 135. l. 19. debeat. p. 142. l. 29. definitione. p. 149. l. penult. dele*: & enim. *p. 151. l. 16. dele*: non. *l. 25. qvid. p. 153. l. 2. inlata. p. 155. l. fin. inauditus. p. 157. l. 27. ſeqveretur. p. 158. l. 6. dele*: æſtimatoria pingvior actione illa. *p. 177. l. 9. provocetur. l. 22. hic. p. 194. l. 18. ſpectarint. p. 195. l. 5. posſim. l. 11. nolint.*

I.

PRÆFATIO.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

THESIS I.

DE RETORTIONE diſſertaturo mihi prius incumbit; ut de vocabulo hoc aliqvid in gratiam tironum juris, præmittam. Qvamvis enim hoc opiner.

Omnibus & lippis notum, & tonſoribus eſſe a: antiqvæ tamen & puræ Latinitati eſt id, qvod miraberis, incognitum. Verbi qvidem *Retorqveo* non infreqvens eſt apud bonos auctores uſus, pro eo, qvod eſt, *reflecto*, vel *retroverto*, ſive *jacio*. b Apud Juris Conſultos vero vix eſt ut illius veſtigia reperias: ſi unum exceperis Ulpianum c: cujus ſi non ſolius: ſaltim præcipui ſunt abuſi avctoritate noſtrates: qvi vocabulum RETORSIO d in theatrum Jurisprudentiæ invexerunt.

a) Horat: *lib. 1. Sat: 7.* (b) *Sic enim* Virgil. *lib 12. Ænead:*

Adnuit his Juno, & mentem lætata retorſit.

Idem Æn. 8.

Demiſſa ab læva pantheræ terga retorqvens.

Eodem ſenſu Ovid 3. Metamorph.

Ille dolore ferox caput in ſua terga retorſit.

Sic Cicero *in Catil. dixit*: Animum retorqvere ad urbem.

Et Seneca: Animum retorqvere ad præterita. *Unde* Retortus, *&* Inretortus; *qvorum illo Virg. 12. Æn:*

Ille retorto.
Pœonium in morem ſenior ſubcinctus amictu:

Hoc Horatius *eſt uſus lib. 2. Od. 2.*

Digitized by Google

Qviſqvis ingentes oculo inretorto
Spectat acervos.

c) *Qvi ut in l. ſi qvis 3. §. utrum. 14. ad Sctm Silan. dicit de eo, qvi cum adcuſaretur,* detorſit *in alium crimina: Sic in l. Qvicum. 14. § ſi Libertus 6. de bonis libert: ait: Qvod Patroni filius ab eo (Liberto) petitus,* retorſit *in eum (Libertum) crimina.* d) *Qvam ego vocem apud ullum exſtare Latinitatis avctorem non credo: imo contra Orthographiæ principia intruſam arbitror: qvæ non* TORSIO: *ſed* TORTIO, *ſi vocem hanc uſus probaſſet, ſcribere dubio procul voluiſſet. Licet enim ſcribamus recte per ſ. litteram,* Roſio, Juſſio, Viſio, Svaſio, Riſio, Seſſio, Sponſio, Morſio, *&c. qvia derivantur à ſupinis:* roſum, juſſum, viſum, ſvaſum, riſum, ſeſſum, ſponſum, morſum, *&c. non tamen eodem modo ſcribi* TORSIO *debet, cum Etymologia repugnet: qvæ in ſupino* tortum *(non* torſum*) adgnoſcit. Unde* Tortio: *Et hinc* Retortio. *Qvam Orthographiam probat magnus ille* Budæus *in adnot. ad l. 2. tit. 1. Pandectarum: &* Zaſius *in lectura priore ſub tit. Qvod qvisq; jur. &c. Sereniſſimus item Legulator, & Saxonici Juris Explanator Divus* Auguſtus *Elector, Saxoniæ Dux: qvi part. 3. conſt. 38.* Retortio *ſcribit: qvod ſeqvitur Commentator illius* D. Daniel Mollerus. *Pro qvo* Caſtrenſis, *& alii utuntur vocabulo plane barbaro,* Retorcutio, *vel* Retorqvitio. *Anton. Capyc. in Neapol. deciſ. 58 ponit* Reproperatio: *ut injuriam* reproperare *ſit idem qvod* retorqvere. *Nec obſtat huic ſcripturæ avctoritas Lexicographorum* Calepini, Fabri, *& aliorum: qvi vocem* Torſio *eſerunt, ſolius* Plinii *avctoritate lib. 20. c. 17. freti. Lectio enim illa apud* Plinium *mendoſa videtur: qvæ in correctis Exemplaribus ſic habet: Privatim ejus uſus contra* roſiones *(non* torſiones*) Stomachi &c. ut exemplar meum Lugdunenſe ſcribtum habet.*

II.

Et licet vox hæc hodie tritiſſima ſit in foro noſtro: non tamen ſemper ejusdem eſt ſignificationis. Qvandoq; enim illud *Retortionis* jus uſurpatur inter Actorem & Reum in judicio litigantes: ut ſi alteruter ex Reſcribto Principis pro ſe obtineat aliqvid ab ordinario proceſſu exorbitans: id cogatur impetrans etjam contra ſe admittere ex jure *Retortionis.* Freqventior hujus uſus eſt in Subceſſio-

ceſſionibus diverſorum locorum diverſis: ut qvod in hoc loco in hereditate cernenda gravamen inponitur Forenſi heredi, qvi loci alterius eſt incola: idipſum etjam obveniat hujjus loci civibus, illic locorum hereditatem adituris: idq; ex jure *Retortionis*: [b] ut æqvalitas ſervetur. Qvod jus adprobat Saxonica conſtitutio.[c]

a) *Exemplum proponit* Dn. Minſinger. *cent.* 3. *obſ.* 4. *in qvo, cum Actor impetraſſet ab Imperatore Commiſſionem contra Reum hac lege: ut in cauſa civilis judicio ipſemet intereſſet, neq; per Procuratorem comparendi licentiam haberet: Reus hac lege ſe compariturum profeſſus eſt, ſi etiam Actor ipſe pari modo compareret.* Id qvod *in* Camera Imp: *ex jure æqvitatis Reus obtinuit, dicto* Minſingero *teſte. Qvod idem auctoritate Gloſſa in Clem. Sæpe V. S. extendit ad hunc caſum: in qvo Actor ex Reſcribto impetrarat: ut in conventione ſua, qva alias erat ordinarii fori, ſummariter procederetur: qvod idem in Reconventione ſummarium proceſſum ad Inſtantiam Rei deberet admittere.* Id *qvod æqvitate ſumma nititur, ſine ullo cujjusq; præjudicio: de qva* Retortione *agit etiam* Zaſius *d. loc. punct.* 3. *& in lectura poſteriore ad l. ſi qvis* 3. *& l. fin. Eod.*

b) *Exempli cauſa: Civis* Lipſienſis *& Soror ſua, cum coheredibus* Erfurtenſibus *in hac noſtra Civitate adituri hereditatem patrui ſui, & matertera petunt pro ſe* res expeditorias, das Heergewett: *vel potius ut loqvuntur Cives Brunovicani* das Heergewehr: *&* utenſilia die Gerad: *qva ex bonis hereditariis ſibi ante inſtitutum familia erciſcunda judicium erogari flagitant.* Erfurtenſes *coheredes hoc admittere recuſant; qvia hoc jus* expeditoriarum rerum, *&* utenſilium *non ſit in hac Republica receptum. Coguntur adqvieſcere* Lipſienſes: *non modo ut* expeditoria: *&* utenſilia *nulla præcipiant: ſed ut etjam de portionibus ſuis, Ærarium hujjus civitatis portiunculam (vulgo* Abzueg*) pro licentia avehundi illas decerpat. Biennio poſt* Erfurtenſibus *noſtris* Lipſiæ *cum Lipſienſibus Civibus hereditatem creturis vicisſim non modo denegatur præceptio* utenſilium*: & rerum* expditoriarum; *qva tamen ut ibidem recepta, coheredibus* Lipſienſibus *permittebatur: ſed etjam à portionibus ſuis, tantum: qvantum hic Ærarium noſtrum detraxerat, decerpitur ex jure* talionis*: qvia qvod noſtri* Erfurtenſes *hic jus dixerant* Lipſienſibus*: id* Lipſienſes *ibi vicisſim contra* Erfurtenſes *dicere ſibi licitum eſſe, putabant æqvum.*

c) *In d. conſtit.* 38. *p.* 3: *qvod alias etiam* jus Talionis *adpellatur; cujjus principia reperiuntur & in SS. Scribtura,* Matth. 6, v. 21. *Ut,* qvod nos nolumus fieri nobis: id non faciamus aliis. Qvis *enim* adſpernabitur idem jus ſibi dici:

qvod ipſe aliis dixit vel dici effecit: *inqvit ex Edicto Prætoris* Ulpian. *l.* 1. *Qvod qviq; jur.* *Idq; ex natura edicto cenſuit verum* Ariſtot. *lib.* 5. *Eth. c.* 5. *Et his qvidem caſibus vocabulum* Retortionis *non inepte fuit adplicatum: cum jus illud, qvod ego mibi intentavi contra* Titium: *in ſimili caſu* Titius *in me vicißim retorqveat & reflectat: qvæ vocis hujus in uſu probata ſignificatio.*

III.

Verum hic de alia *Retortione* diſſerere mihi eſt propoſitum: qvæ in cavſſis *injuriarum verbalium* vulgo fertur recepta. Eaq; duplex: *Proprie*: vel *Inproprie* ſic dicta. *Illa*, qvando injurioſo criminis objecti convicio læſus, illud idem ſic in conviciatorem, ut ille vel ſolus [a]: vel ſecum [b] ſit huic revera obnoxius, reflectit [c].

a) *Ut in Conviciatorem crimen totum retorqveatur: qvod ille ſolus ſit illius reus: nec de eo qvidqvam participet injuriam paſſus.* b) *Ut ſi injuriam paſſus non plane ſit inſons: habeat tamen conviciatorem ſocium criminis objecti.* *Qvomodo Ulpian: in l: qvi cum* 14. *§. ſi Libertus 6. de Patroni filio à Liberto majjeſtatis adcuſato dicit: qvod* ab eo (*Liberto*) petitus, retorſit in eum (*Libertum*) crimina. c) *Hoc enim proprie loqvendo eſt* retorqvere: *qvando id, qvod erat emiſſum, vel intortum in aliqvem: ab eodem in emittentem, vel intorqventem retorqvetur vel reflectitur.* *Cujjus exempla infra part.* 3. *th:* 27. *cum* 2. *ſeqq. cernere licet.*

IV.

Hæc verò, qvando datur licentia illi: qvi à qvopiam conviciis eſt proſciſſus: ut inpune *recriminari* [a] conviciantem, & illum viciſſim aliis conviciis vel ſimilibus, ſed falſis, proſcindere; vel *remaledicere* illi [b] poſſit [c]. Qvàm ut tam juri *Divino*: & *Philoſophico* inprobatam: qvam *publice* pernicioſam: & *Romanæ* Jurisprudentiæ incognitam, ſolius veritatis inveſtigandæ cauſſa repudiare certum mihi.

a) *Unde rectius* Recriminatio *diceretur: qvam Græci ἀντιλοιδορίαν, ab ἀντιλοιδορέω verbo, qvo Div. Petrus* 1. *ep. c.* 2. *v.* 23. *eſt uſus vocaſſent: ſi hujjus uſum noviſſent.* b) *Qvo verbo Sveton: in vita Veſpaſiani c.* 4. *reperitur uſus. Unde* Remale-

dictio,

Digitized by Google

dictio *derivari poſſet: qvæ vox iterum rei ſignificandæ magis apta, qvam* retortio *videtur.* c) *Qvo in actu proprie loqvendo nulla* retortio *poteſt animadverti: cum vel non retorqveatur illud ipſum convicium, qvod erat intortum: ſed aliud illius vice: vel ſi qvid ſimile, ut tamen illud ſit confictum. Exempli gratia:* tu mentiris: *vel:* tu mentis, ut latro.

V.

Etſi enim me non latet: hoc jus hodie Dd. plerorumq; calculo, tam in *ſchola*: qvam *foro* conprobatum: ut ſine hæreſi manifeſta nemini contradicere fas ſit illi: hæreſin tamen hanc non patrare, præ veritatis, & æqvitatis amore, qvæcunq; tandem pœna ſit hæreticum manſura, non potui: cum hoc unicum hæſitanti ſolatium calcar ſubdiderit: qvia novi, pœnam in Conſiſtorio Juridico non ita gravem Juridicæ hæreſeos crimini inflictam a.

a) *Magni enim illius* Antonii Fabri *(ſi magna licet conponere parvis) Juris-Conſultorum noſtri temporis Principis, exemplum me exſtimulat: cui cum propter hæreſes plus qvam mille, & has qvidem graviſſimas, hoc ſeculo noſtro contra* Opinioniſtas *diſſeminatas, non multas adhuc dicas ſi* Reinh. Bachov. *& forſan ex aliis unum atq; alterum excipias, audiverim publice ſcribtas: magna ſpes eſt, fore, ut adverſæ partis ſectæ me propter unicam hanc, non ita magni forte ponderis, non ſint adeo ſeveriter in jus rapturi.*

VI.

Ut autem hæc confutatio tanto majjore cum evidentia procedat: Jus hoc *Retortionis*, pro ut hodie uſurpatur, breviter ex ipſiſmet Dd. modernorum, qvi hoc profitentur hodie, inprimis Dnn. *Boceri* & *Harprechti* JCtorum *Tybingenſium*: nec non *Berlichii* JCti *Lipſienſis*, qvi præ ceteris. qvos mihi qvidem videre licuit, copioſius hanc materiam discusſere (qvorum veſtigiis ex recentioribus reliqvos pleroſq; inſiſtere animadverti) verbis juxta receptam noſtris methodum, *prius explanare*: De hinc ad illius *inprobationem*: & tandem illorum, qvæ pro illa ſtabilienda vulgo proponuntur, *refutationem*, Deo dante, procedere mihi libet.

Digitized by Google

PARS PRIMA.

QVA

JUS RETORTIONIS INJURIARUM vulgo receptum, per rationes *dubitandi* proponitur.

THES. I.

R*Etortio* eſt legitima injuriæ verbalis, propria avctoritate, ab injuriis adfecto, in ipſummet adficientem, præſentem, vel abſentem, verbis ore prolatis, vel ſcribtis, honoris ſui tuendi cavsſa, facta repulſio [a]. Qvæ definitio per ſuas partes explicanda.

a) Bocer. *fam. Lib. c.* 5. *n.* 44. Harp. *ad* §. 12. *Hac actio.* J. *Injur*, *n.* 90.

II.

Dicitur *Legitima* h. e. non tantum *legibus* permiſſa: ſed etiam *argumentis* ex *ratione* petitis adprobata: immo etiam graviſſimorum JC. *opinione* ſubſulta.

III.

Ex *legum* [a] numero producuntur: l. ut vim. 3. J. & J. [b]: l. Qvi cum major. 14. §. ſi libertus. 6. Bon. libert: [c]. l. Qvæ omnia 25. procurat: [d].

a) Politicarum *ſcilicet; cum de* Sacris *infra ſit aliqvid ſeorſim dicendum.*
b) *Ubi* Florentinus *dicit*: Jure licere vim atq; injuriam propulſare: *Qvod de vi dicit, ad corpus: qvod de* injuria, *ad honorem tuendum pertinet. Separantur enim à JureConſulto, & tanqvam diverſa ponuntur*: vim & injuriam *propulſare. Sic-*

Digitized by Google

ut enim vim vi repellere: *Sic injuriam injuria recte retorqvere licet*: Harp. *ad tit. l. de Injur. § Hæc actio. 11. n. 91.* c) *Ubi* Ulpianus *dicit*: Ignoſcendum eſſe ei, qvi crimina objecta in conviciatorem retorſit, cum provocatus ſe ulciſci voluerit. d) *Ubi idem* Ulpianus *ait*: *Si adverſarius vel ipſe Procurator dicat: Dominum mentiri; apud Prætorem hoc finiri oportet.* Niſi forte purgare magis convicium, qvam Procurationem exſeqvi maluit. Ceterum pudorem ſuum purgans ferendus eſt.

IV.

Ex *rationibus* qvæ potisſima creditur, hæc *a* adfertur: 1. Qvia fama & vita paribus ambulant pasſibus *b*: Atqvi vitæ tutandæ cavſa licet adgresſorem non modo vulnerare: ſed etjam obcidere. Ergo etiam permisſum: honorem adverſus verbalem injuriam contrariis verbis *tu mentiris* propulſare. Qvia difficillimum ſit: juſtum dolorem *c*, qvi ex inlata procedit injuria, temperare.

a) *â Dn.* Harp. *d. l. c. n. 94.* b) *l. juſta. 9. Manum, vindict. l. iſti qvidem 8. §. 2. Qvod met. ca. l. Julianus 26. ſi qvis om. ca. teſt.* c) *Argumento l. ſi adulterium 28. §. 8. Adulter.*

V.

Ex *opinionibus* Dd. adlegantur: Jaſon *a*: Bartolus *b*: Speculator *c*: Felinus *d*: Panormitanus *e*: Alexand. ab Immola *f*: Baldus *g*: Damhuderius *h*: Wurmſerus *i*: Minſingerus *k*: Gail *l*: Weſembecius *m*: Schneidevinus *n*: Schraderus *o*: Berlichius *p*: Bocerus *q*: Collegium Argentinenſe *r*: Coraſius *s*: Zaſius *t*: Obrechtus *u*: Jacobus Schultes *x*: Fachineus *y*: Farinacius *z*: Arumæus *α*: Niellius *β*: Pavlus Berens *γ*: Joh. Lud: Langius *δ*: Helſ. Hunnius *ε*: Matth. Stephanus *ζ*: Leop. Hakelmannus *η*: Godæus *θ*: Badius *ι*: Frantzkius *κ*: Peſoldus *λ*: Ludov. Gilhauſen *μ*: Th. Petrejus *ν*: Hœnonius *ξ*: Vavdus *ο*: Antonius Capycius *π*: Valentinus Arithmæus *ρ*: & alii plures.

a) *Ad. d. l. 3. n. 36.* b) *ad. l. Qva omnia. de Procur.* c) *tit. de Advocat. § jam nunc. n. 3.* d) *c. Dilecti. n. 10. Ext. Except.* e) *ad c. cum te â, Barth. 25. n. 25.*

Digitized by Google

n. 25. v. ego vero Ext. Re iud. f) *l fin. n. 3. v. ult. qvod qvisq; jur.* g) *l. 1. C. Unde vi. v. Et imo.* h) *pr. rer. crim. c. 136. n. 6.* i) *tit. 47. obſ. 4. & 18.* k) *cent. 4. obſ. 17. & reſp. 7. n. 26.* l) *lib. 2. obſ. 100. & 101.* m) *parat. C. qvando lic. un. fin. jud.* n) §. *1. n. 8. J. injur.* o) *in conſ. 40. n. 34. tom. 1. JCt. German. Et de Fevd. part. 9. c. 4. n. 114.* p) *p. 5. conc. 64.* q) *de fam. Libel. c. 5. n. 44. Et c. 3. n. 54. Item cl. 6. diſp. 1. th. 33. Et cl. 4. diſp. 4. th. 30.* r) *D. lib. 47. tit. 10. th. 13. cum ſeqq.* s) *miſcel. lib. 6. c. 24. n. 6. Et l. ſi tam. n. 5. ſervit.* t) *in ſum. tit. de Procur. punct. ult. v. nota ſeptimo. Et ad l. ult Qvod qvisq; jur.* u) *de neceſ. defen. c. 1. n. 9. 12.* x) *in addit. Modeſt. Piſtor. ad qvæſt. 128. n. 46.* y) *Contr. l. 9. c. 12.* z) *de variis ac div. crim q. 105. n. 517. ſub lit. L.* α) *diſp. ad Pand. 22. th. 11. Et in altera editione diſp. 24. th. ead. Et diſp. 17. th. 17. ad inſtit.* β) *diſp. inſtit. 19. th. 10.* γ) *diſp. ad inſtit. 14. th. 5. 6.* δ) *Dec. 9. qvæſt. 3.* ε) *crim. diſp. 2. th. 27. cum ſeqq.* ζ) *ad Inſtit. diſp. Cent. 4. th. 22.* η) *qvæſt. illuſt. diſp. 23. th. 17.* θ) *diſp. ad Pand. p. 3. 14. th. 4. ſub lit. E.* ι) *ad inſt. diſp. 20. th. 2.* κ) *Exer. contr. 12. q. 7.* λ) *diſp. 1. de injur. th. 17. cum ſeqq.* μ) *arb. jud. crim. c. 2. tit. 34. n. 136.* ν) *diſput. de mat. delict. th. 26.* ξ) *diſp. ad inſtit. 18. th. 25.* ο) *lib. 2. q. 29.* π) *deciſion. Neapol. 58.* ϱ) *Peric. Acad. p. 3. diſp. 4. th. 2. lit. C.*

VI.

Statuto tamen hanc *Retortionem* inhiberi poſſe conceditur: utut eo, qvo mendacii qvempiam coarguens punitur [a], qvi retorqvet per verba, *tu mentiris* non [b] contineatur [c].

a) *Qvo cautum: qvod nemini liceat ſub certa pœna dicere* tu mentiris. b) *Sed hi tantum, qvi nulla præcedente provocatione cuipiam non convicianti, ſed aliud qvidpiam adſeveranti (exempli cavſſa:* ego tibi ſolvi qvod debui) *mentitam dare non erubeſcunt: qvæ adeo probibita: ut neqvidem cum proteſtatione liceat dicere:* tu mentiris, ſalvo honore tuo: Bart. *l. ſi qvis 21. ad qvi. vel omit. hered.* Covar. *reſol. lib. 1. c. 11.* c) Halbrit. *de injur. & fam. lib. c. 6: ut qvi mentitam impingit convicianti, non incidat in pœnam ſtatuti.*

VII.

Qvia igitur *Retortio* eſt defenſionis ſpecies, qvæ nemini deneganda: [a] hinc conſeqvens eſt: omnibus verbali injuria adfectis

retortio-

Digitized by Google

retortionem eſſe permiſſam: Etjam *Minori* ſine Curatoris[b]: & *Filiofamil[a]as*, ſine patris adſenſu[c]. Non tamen id *patri* licebit nomine filiifamilias: nec *marito* nomine uxoris[d]: nec *Procuratori* in cavſſa Domini[e]: Licita tamen eſt *Deportato*[f]: ſed non *Bannito*[g]: nec *infami*[h]: nec illi cui *verum* eſt crimen[i] objectum.

a) *Qvia juris eſt naturalis*. Veſenbec. *conſ. 43. n. 177.* Alt. *biſt. proc. c. 6. ob. 2. n. 6.* b) *Immo & Pupillis*: Berlich. *d. loc. n. 10. qvia hac eſt extrajudicialis defenſio, qva omni periculo vacat, & ſolummodo minoris favorem concernit.* c) *Qvia patria poteſtas eſt juris civilis: qva naturalem impedire non poteſt: cum civilis ratio naturalia corrumpere jura non poſſit: § Jus a. Inſt. Patr. poteſt. §. fin. Inſt. leg. adgnat. tutel.* Berl. *n. 11.* d) *niſi ſuo nomine injuriam tanqvam ſibi inlatam retorqvere velint: qvod ipſis licet: § Patitur I. injur. Cur enim illorum nomine retorqvere neqveant, ratio eſt: qvia* Retortio *nihil aliud: qvam purgatio innocentia, ſive exiſtimationis contra objectum convicium: d. l qva omnia 25 Procurat: qva cum ſit declaratio ab animo injuriam paſſi profecta: fieri non poteſt: niſi per illum ipſum, qvi criminis inſimulatur: argumento l. ſi qvis 43. Verb. obl: qvia ipſe ſuſpectus de crimine ſe purgare debet: non alius: c. 1. c. 2. c. 3. purg. can. Nec obſtat: qvod pater etiam filii nomine injuriarum agerere poteſt: qvia actio injuriarum non principaliter ad purgationem convicii ſpectat: ſed ad pœnam læſo inferendam. Neq; vero pater, retorqvendo injuriam filio inlatam, â filio removere poteſt: nec ipſius innocentiam purgare. Idem de marito ſtatuendum putat* Halbrit. *injur. c. 6.* Berlich. *n. 12.* e) *Etſi generale habeat mandatum ad agendum injuriarum nomine: qvia in his qva â declaratione animi & conſcientia pendent, mandatum ſpeciale reqviritur: qvod ſi habeat retorqvere poteſt: qvia idem eſt, ac ſi ipſemet feciſſet, qvod fieri curavit per alium* Berl. *n. 15. 16.* f) *Qvia retinet qva juris naturali ſunt, & gentium l. ſunt qvidam 17 Pœn. l. inter 6. Interd. & relegat.* g) *Qvia Bannitum ex conſtitutione Imp. licet non modo omnibus bonis privare: ſed etjam interficere: Ord. Camer. p. 2. t. 9 §* Soſemond/ *Gail. 2 pac. publ. c. 1. n. 23. Ergo & qvod minus eſt, conviciis proſcindere: arg. l. in ſuis 11. fin. lib. & poſth: qvi convicia retorqvere non poſſunt: qvia ubi eſt licita offenſio: ibi defenſio prohibita cenſetur.* Airer. *biſt. proc. c. 1. obſ. 3. n. 22.* Berlich. *n. 13. 14.* h) *niſi infamia leviore notato objecta ſit gravioris nota infamia: ex qva non ſit notatus: qvam per mentitam retorqvere licet.* Berlich. *n. 17.* i) *Qvia verum crimen objiciens, etſi contumelia inferenda cavſſa: non tamen mentitur: atq; ideo illi mentitam dare non licet: qvod hoc crimen ei falſo objiceretur: l. neganda 10. C. qvi accuſar. non poſſ.*

Digitized by Google

IIX.

Et conſeqvens hinc iterum: *Retortionem* hanc ut *cuivis*: ſic adverſus *qvemvis* injuriam verbalem inferentem *a* eſſe permiſſam: Etjam *vaſallo* contra Dominum *b*: & contra *mandantem* injurias inferri *c*: & ſic contra *clientem d* cujus advocatus injuria adficit adverſarium: non tamen idem licet *filio* contra patrem *e*: non *diſcipulo* contra præceptorem: non *ſubdito f* contra magiſtratum.

a) *Non tantum humilem: ſed etiam egregiam: & in dignitate conſtitutam perſonam: argumento l. fin.* C. *Injur. c. 3. v. ſi vero. Sent. excom.* b) *Qvia nusqvam à regula legitur exceptus: Et qvia vaſallo licet ſe, resq. ſuas defendere contra* Domini *violentiam: qvia* Dominus *Vaſallo in omnibus vices reddit: v. de forma fidelit. lib. 2. Feud. t. 6.* Berlich. *n. 19.* c) *Ut mandatario conviciante liceat retorqvere convicia in mandantem: argto. l. non ſolum. 11. pr. & § ſi mandatum.* Injur. *qvia mandans injurias inferri, pro inferente habetur.* d) *Qvod enim Advocatus facit cliente præſente & intelligente: id videtur* Cliens *ipſe feciſſe, niſi contra proteſtetur l. 1.* C. *error. advocat.* e) Qvia *illis qvi jus corrigendi habent: & qvibus reverentia debetur, reſiſtere non licet: l. ſi filius. 3.* C. *patr. poteſt. l. 1.* C. *emend. propin. l. ſed etſi 5. §. ult. cum l. ſeq. Ad L. Aqvili: niſi liqvido adpareat: patrem, vel præceptorem diffamandi cavſa filium, vel diſcipulum objurgaſſe: argto. l. minime 35. Religioſ. & ſumt. l. probibitum 5. l. defenſionis 7.* C. *Jur. Fiſci.* f) *Argto l. injuriarum 13. §. qvæ jure l. item 15. §. unde 39. l.* Qvod *Reip. 33. Injur: niſi Magiſtratus privato qvodam adfectu, absq; juſta cavſſa convicia ingerat: l. nec magiſtratib. 32. Eod. l. qvemadmodum 29. §. Magiſtratus. Ad. Leg. Aqvil.* Berlich. *n. 20.*

IX.

Materia circa qvam eſt *injuria verbalis. falſo a* crimen impingens alicui.

a) *Per ea qvæ paulo ante th. 7. lit. l. ſunt dicta: Nam ſi verum crimen objicienti daretur mentita: injuriarum actio daretur contra retorqventem.*

X.

Forma Retortionis in eo verſatur: ut fiat *verbis a*: & qvidem

contra

Digitized by Google

contra *præſentem ore* prolatis: contra *abſentem* vero *charta* cuipiam inſcribtis, & facienti convicium inſinuatis: dicendo, vel ſcribendo *b*: *tu mentiris*: idq; vel *ſimpliciter*: vel *exaggerandi* cavſſa: *mentiris per gulam*: vel *in cor*, aut *in os tuum*: vel *mentiris ut fur latro proditor, homicida, ſcortator, adulter ſceleſtus c* &c. etjam *ingeminando* illa ſæpius: & ſic, ut in illum ſint, qvi protulit injuriam, *in ſpecie* directa: ſed *moderate d* tamen: & in *continenti e*; h. e. inter *præſentes ſtatim*, cum ſunt prolata: inter *abſentes* vero, *a tempore* ſcientiæ: ſive *confeſtim*: ſive *per intervallum* aliqvod temporis: qvo commoditas retortionem transmittendi, vel faciendi ſe obtulerit.

a] *Non* verberibus *& factis l. nihil 35. de R. Jur. l. an inutilis 8. §. acceptum. Acceptil: etſi qvis mentitam alicui dederit: cui reſpondendum*: imò tu mentiris: *niſi perſona vilis nobili mendacium objecerit: cui colaphum inpingere licebit: ut ſic illum ab ulterius injuriam inferendo abſtrahat; qvi per verbalem retortionem ab injuriando non deterreretur: argto. l. item apud 15. §. unde 39. injur.* Berlich. *n. 28. 29. 30.* b) *Etjam ſine ulla de non injuriandi animo proteſtatione: licet per ſe ſint injurioſa: Et extra caſum provocationis illa proferens injuriarum conveniri poſſet.* c) *Non qvod velit Retorqvens conviciatorem iſtius criminis inſimulare: ſed mendacium tantum exaggerare: qvaſi dicat*: mendacium tuum tam vanum eſt, ac ſi eſſet à latrone, fure, *qvi mendaciſſimi homines*, prolatum. *Si vero* Retortio *fieret non adjecta qvalitatis (ut, tanqvam, ſicut &c.) particula ſimpliciter contra injuriam facientem*: tu es fur, adulter, latro *&c: tunc ita retorqvens injuriarum teneretur*: Berlich. *part. 5. concl. 64. n. 4. 5. ſive qvis* pure *diceret*: tu mentiris; *Sive* ſub conditione: Si tu hoc dicis, mentiris. Berlich. *ibid. n. 8.* d) *Nam ſi provocatus*, qvod ſit fur: *aliud* (*omiſſo verbo* mentiris, ut fur) *crimen rejecerit*: tu es ſceleſtus. homicida, *&c. retortio non valet*: Berlich. *n. 24 25. 26. 27.* Bocer. *clas. 4. diſp. 4. th. 31. Et clas 6. diſp. 1. th. 37.* e) *Niſi crimen objectum eſſet eo loco: ubi ex ſtatuto mentitam dare non liceret.* Anton. Scap. *de jur. non ſcribt. lib. 5. c. 65: vel ubi tutum non eſſet*: Greven. *lib. 2. concl 100. n. 28.*

XI.

Sed tutisſimus & utilisſimus omnium retorqvendi modus hic eſt: hodie receptus: ut expediatur per ſchedam, ſi ve libellum ſcrib-

tunt, cum expreſſa injuriæ in'atæ mentione [a], â retorqvente ſubſcribtum, & injuriarum avctori, qvem in eo nominare debet, cum poſt tempus ſcientiæ commode [b] fieri potuerit, vel teſtato [c], & adhibito qvandoq; Notario oblatum: vel ut hic libellus pro majjori cavtela coram Notario & teſtibus prælectus inſtrumenti publici avctoritate firmetur, & exemplar inde transſcribtum per eundem Notarium cum teſtib. injurianti inſinuetur.

a) *Et loci, atq; temporis, ubi, & qvo patrata fuit: nimirum, qvia ſit à Titio maculatus hoc vel illo convicio: hoc vel illo loco, & tempore facto: ſe honoris ſui tuendi cavſſa dicere:* qvod Titius ſit mentitus, ut fur, prædo, latro, &c. *Nam alias ſi indeterminate dicat: ſe expertum eſſe, qvod qvispiam ſe furti inſimularit: & honoris ſui cavſſa dicere: qvod qvisqvis ille ſit, mentitus fuerit ut fur: Vel perſonam qvidem injuriantis: ſed certam convicii ſpeciem non exprimat, & in genere tantum dicat, qvod injurioſa qvædã verba cõtra ſe profuderit, nullius momenti libellus hic erit, l. prætor edixit 7. pr. injur. l. 1. § 1. ad SCtum Turp. Qvia libellus debet eſſe clarus, & perſpicuus, ut reus deliberet, num cedere, an contendere malit. Certa avtem convicii ſpecie. & certa conviciatoris perſona expreſſa, nihil refert, etiamſi mentita ſit indeterminate data.* b) *Nam in continenti & illa dicitur* Retortio *facta, qvæ licet ex intervallo fiat: eo tamen fit tempore, qvo retorqvendi poteſtatem habere potuit injuria ſpurcatus: nimirum qvando certo reſcivit, ſibi abſenti injuriam factam, & qvando Notarium ad inſinuandum vel conficiendum inſtrumentum habere potuit: argto l. 2 §. confeſtim 45. Ad SCtum Tertyll. l. annus 6. Calumn. l. 1. Diverſ. & temp. praſc. l. 1. qvæ in frav. credit l. cum ſex. 55. Ædil. edict. l. 2. qvis ord. in poſ. l. continuus 137. pr. Verb. Obl. Ordin. Cam. p. 2. tit. 9. § 1. ad fin. ita tamen ut poſt annum à tempore inlatæ injuriæ interponi non poſſit, à tempore ſcientiæ conputandum.* c) *Vel ab ipſomet retorqvente, vel ab alio illius nomine, teſtibus ad minimum duobus adhibitis.* Retortio *enim abſenti facta per litteras, epiſtolam, vel inſtrumentum nullius eſt valoris: niſi injuriam facienti fuerit intimata teſtato, etſi is retortionem factam forſan aliunde reſcivisſet.* Berlich. *n. 32. 33. 34. 35. 36.*

XII.

Finis eſt: ut ſpectet tantum ad honoris defenſionem [a] non ad vindictam [b]. Ut contumeliam ſibi factam in conviciatorem, qvi illa ma-

illa maneat oneratus, donec probet injuriam, removeat: ut injuriam faciens hac ratione â pluribus conviciis evomendis abſterreatur: vel, ſi pergat, avctoritas per mendacii objectionem deminuatur: ut deniq, injuriatus actionem injuriarum evadat, & ſumtibus parcat [c].

a) *Non enim delinqvit: qvi propriæ ſalutis, & honoris defenſor exſiſtit: etſi excedat modum: modo fiat ſine dolo, argto l. Gracchus 4. C. Adulter. l. ſi qvis percusſorem. 3. C. Sicar. l. cum qvi 18. Injur.* Retortio *enim eſt qvædam provocatio, ut injuriator convitium objectum probet, aut mendacii Reus perpetuo maneat.* b) *Qvam ſi habeat conjunctam, non illa ordinaria: ſed mitiore pæna coërceatur: immo qvæ ſecundum qvosdam prorſus impune admittitur: ut patet* ex Schrad. *d. l. de feud. n. 124.*
c) Berlich. *n.* 37.

XIII.

Effectus eſt: qvod per *Retortionem* ſic aboleatur verbalium injuriarum actio: ut Retorqvens non modo nulla injuriarum actione ab eo, cui facta *Retortio* conveniri [a]: ſed ipſemet etjam adverſus conviciatorem in judicio nec civiliter: nec criminaliter procedere qveat: cum ab illa, ad hanc non detur regresſus [b]. Qvod idem effectus retortionis: qvi ſententiæ judicialis: et arbitrio retorqventis plane expellatur, & perimatur contumelia [c]: qvæ actionis injuriarum fuerat cavsſa: Immo Retorqvens non tantum acceptam injuriam regerat in injuriam facientem, & ſuſpicionem criminis objecti purget: ſed inſuper eum adfligat, & oneret injuria alia: qvando per mendacii objectionem opinio ipſius manet apud honeſtos gravata: donec de criminis objecti veritate fidem fecerit [d].

a) *Teſtis* Berlich. *part. 5. concl. 64. th. 1.* b) *Qvia injuria per Retortionem ſatis jam vindicata, & bona fides non patitur, ut bis idem exigatur. Et inciviliter conqveritur. qvi ipſe ſibi judex, & ultor exſtitit. Cumq, uno ex facto plura competunt remedia ad unum finem tendentia, unum tollit alterum.* c) *Qvia retorqvens nulla amplius contumelia eſt oneratus, cum per injuriæ relationem omnimodo purgarit pudorem ſuum, ut nihil ſit reliqvum: qvod per actionem injuriarum æſtimari posſit, qvia ſublata injuria, omnis injuriarum actio peremta intelligitur.* d) Berlich. *n. 38. cum ſeqq,* Bocer. *famoſ. lib. c. 3. n. 54. cum ſeqq.*

Digitized by Google

XIV.

Ceteſum *Retortioni* factæ non poteſt is, cui mentita data eſt, aliam retortionem obponere [a]: niſi mentita ſit innocenti [b] inrogata: vel potius; niſi Retorqvens novum, idq; falſum crimen objecerit [c].

a) Berlich. *in fin.* Bocer. *clas. 6. diſp. 1. th. 36. argto l. fin.* *Qvod qviq; juris: qvia actor contra reconvenientem exceptione uti non poteſt l. cum Pomponius* 14. *C. Sentent. & Interloc. om. jud. qvia infinitas in jure rejicitur.* b) *Qvi vel crimen nullum objecit: vel qvod verum fuit.* Colleg. Argent. *d. loc. th.* 23. *Ex qvo dependet: Qvod Notarius Inſtrumentum* Retortionis *inſinuans, illi, cui inſinuatur illud, in eodem negotio vicüſim retorqvendi, operam accommodare ſuam non poſſit.* c) *Per l. 1. pr. Ventr. inſpic. l, de ætate 11. §. ex cauſſa. Inter. in jur. fact.* Bocerus *d. d. 1. th. 36. lit.* C.

XV.

Ut autem nihil ad ſtudium hoc Retortionis adeo præclarum (ſcilicet!) deſiderari poſſet promovendum: expromtæ ſunt aliqvot ad imitandum *retorqvendi formulæ*: ex qvarum, forſan â pluribus editarum, numero mihi tantum VI. â Dn. *Harprechto* antehac: [a] & nuper admodum ab *Adamo Volcmanno* [b] propalatas videre licuit.

a) *d. tit de injur. §. hæc actio n. 227. cum ſeqq.* b) *tract. de Inform. Notar. part. 2. c. 83. Qvarum hæ paullo modeſtiores ſunt illis ab Harprechto prolatis: de qvib. infra paſſim pluribus dicetur.*

PARS SECUNDA.

QVA

JUS RETORTIONIS VULGO RECEPTæ per rationes *Decidendi* inprobatur.

Theſ. I.

THES. I.

ET hunc qvidem in modum ſuaviter pleriq; de *Retortionis* materia, nemine fermè contradicente, diſputare ſolent: poſteriores priorum veſtigia & præjudicia, plerumq; ſine judicio, ſecuti[a]: qvæ ſi *ad principia* revocentur Jurisprudentiæ, qvod in hac acroaſi moris esſe debet, tanqvam ad Heracleum lapidem examinanda: mox adparebit: Commentum hoc esſe Doctorum qvorundam, â *Sacra Scribtura*: & *vera Philoſophia* diſcordans: qvod patrum qvidem noſtrorum memoria rarius uſurpatum: ſed noſtro ævo plenis eſt velis in *perniciem Reipublicæ* invectum: Verum ut *juri Juſtiniano* incognitum[b] ex theatro & foro Juridico procul ad Garamantas & Indos exterminandum.

a) *Solent enim plerumq; Dd. noſtri ſic in foro procedere: ut peronatis pedibus alii alios ſine Judicio turmatim ſeqvantur: inſtar avium, qvas* regales *vocant*: qvarum unam prævolantem omnes reliqvæ comitari ſolent: *qvod Phil. Decius JCtus Italus ſæpius monuit in conſiliis: teſte D. Hart. Piſtorio lib. 2. qvæſt. 1. n. 86. qvæſt. 5. n. 14. qvæſt. 36. n. 30. qvæſt. 15. n. 50. lib. 1. qvæſt. 24. n. 37. Hinc fit, ut* pecorum ritu ſeqvantur antecedentium gregem: pergentes, non qva eundum: ſed qvo itur. *Qvod ne fiat cordatiſſimus Seneca* nil magis præſtandum *præcipit: lib. de beat. vit. c. 1.* b) *Qvatuor igitur ad hæc principia, qvæ etjam ſupra ſunt in præfatione th. 6. poſita,* Sacram Scribturam: veram Philoſophiam: Rempublicam: & Jurisprudentiam Romanam, *hæc opinio referenda & examinanda: ut ſtet: vel cadat: prout illis conformis erit; vel ab eis abhorruerit.*

II.

Parcius iſta viris tamen objicienda memento,[a] clamitabit non nemo; immò μεγαλίας αἴτημα vociferabit: & inſanum me ac impudentem, ſi non furioſum, diſſamabit: qvi tot tanti nominis JCtis, & inter hos præceptoribus nonnullis, circa opiniones plerorumq; omnium calculo conprobatas dicam ſcribam! Clamitent, & diſſament ad ſatiem usq;. *Veritatis, & Reipublicæ Chriſtianæ* amor eſt mihi

hi fama

hi fama potior. Amicus ſit *Plato*: Amicus *Socrates*,[b] Amica Præceptorum, & Doctorum omnium caterva ; ſed *veritas* magis amica & *Juſtitia*.

a) *Virg. Ec. 3.* b) ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. *h. e. licet ambo ſint amici: ſanctum tamen eſt, illis præferre veritatem: Ariſtot. Ethic: ad Nicom. l. 1. c. 6.*

III.

Sed ut rem ipſam ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν[a] aggrediar: & *errorem* hunc *communem*, qvi magno cum Doctorum adplauſu ſed pe peram Jus facere conatus eſt[b], in gyrum principiorum reducam: nemo, qvi Chriſtianus eſt, ut ſpero, mihi de hoc principio litem movebit[c], qvod ſic habet: *Omnia Juriſprudentiæ præcepta in foro Chriſtianorum Sacroſanctæ Scribturæ, in veteri & novo Codice, gnomoni præfixo conformia ſunto: difformia removentor*[d].

a) *h. e. ſine præloqviis & adfectuum motibus, juxta Præconis Athenienſis interdictum: de qvo Eras. adag.* 96. *cent.* 4. *chil.* 3. b) *Revera enim* Error communis *jus facere non poteſt: qvamvis vulgo Dd. hoc placuerit. Cum jus in certo animi judicio, ex natura nobis ingeneratis notitiis per juſtas & rectas rationes exſtruatur: qvippe qvod ars eſt æqvi & boni, teſte Ulpiano l. 1. pr: juſt. & jur: qvæ non ex vago errore: ſed ex certis* honeſtati & publicæ *utilitati conformibus præceptis collecta:* Bronch. *cent. 1. ἐναντ: ads. 7.* Nec *juvat, etjamſi ſit antiqviſſimus error iſte:* Cum conſvetudo ſine veritate, vetuſtas erroris ſit: qvo relicto veritatem ſeqvi debemus: *can. fin. diſt.* 8. *Veritate enim manifeſtata, conſvetudo cedere debet: ut Divus* Auguſtin. *cenſet d. diſt. can.* 4 *In qvam rem plura confert* Juſt. Mejer. *contra Schop. ad l. qvicunqʒ 8. C. de hæret. n. 19.* c) *Si fecerit ex diſputationis Chriſtianæ palæſtra juxta illud Ariſtotelicum lib. 1. Phyſic. c. 2. n.* 8. οὐκ ἔστι λόγος περὶ τὸν ἀναιροῦντα τὰς ἀρχάς i. e. contra negantem principia non eſt diſputandum, *repellendus erit.* d) *Qvamvis enim huic effato videantur obſtare qvidam: qvi Romanam Juriſprudentiam Juſtiniani avctoritate promulgatam nævis qvibusdam ſcatere volunt, à qvibus Sacra abhorreat Scribtura: adeò ut* jure Canonico *fuerit ad hos extergendos opus: & adhuc ſuperſint non pauci, à Dn.* Antonio Matthæo *diſp.* 12. de fundamentis juris aliter jaciendis, *ſeorſim notati: non tamen illa ſunt tanti momenti, ut huic principio vim facere queant. Juris certe Canonici cenſura nuſquam*

indiguit

indiguit Juriſprudentia Romana: *cum qvocunq; manus ſuas circa materiam* nubriorum, juramentorum, uſurarum, præſcribtionum, judiciorum, *&c. intulit cenſorias: ibi juri Romano per ſe ſatis inculpato, & tranqvillo, tot temporũ progreſſu fluctus moverit: ut, ubi litibus anſa erat ex ſapientiſſimo Juriſprudentum Romanorum conſilio præciſa: ibi omnigeneris litigiorum ante conſopitorum lerna repullularit: cujus rei præter experientiam teſtes ſunt*: Dn. Nicol. Vigelius: Carol. Molinæus: Franc. Hottomannus; Hugo Donellus: Jacob. Cujjacius: Joh. Oldendorpius. Antonius Faber: *& alii plures: qvos hic recenſere mei jam non eſt inſtituti. Qvod autem adtinet ad leviculas illas maculas à Dn.* Matthæo *notatas: ſunt illæ nuper à Dn.* Herm. Gœhauſen *JCto Academiæ* Rintelheimæ *part. 1. peric. Acad. qvæſt. 14. partim etjam ab ipſo, qvem dixi* Fabro, *err. pragmat. dec. 9. c. 1. & Oldendorpio paſſim tam emunctim abſterſæ: ut ex æqvo & bono rem æſtimanti nihil ſuperſit, qvod qvenqvam obfendere poſſit.*

IV.

Qvo poſito ſic argumentor: Q*vod anſam præbet propriæ*, extra caſus [a] expreſſo jure permiſſos; *vindictæ: Qvod malum malo recompenſandum: & qvod criminantem recriminandum præcipit: id abhorret à Sacræ Scribturæ præcepta: & propterea ex Chriſtianorum foro exterminandum.*

Sed talis eſt hæc de *jure Retortionũ* doctrina vulgo recepta, ex magna parte [b]. Ergo ex illa parte, qva abhorret â Sacræ Scribturæ placitis, eſt e Chriſtianorum foro, immo omni illorum conſortio exterminanda.

a) *Cujusmodi ſunt: offenſio* hoſtis, transfugæ *l. 3. §. fin: de Sicariis. l. 1. § non fuit. Dol. mal:* Militiæ deſertoris *l. 1. & 2. C. deſert:* Famoſi & publici latronis *l. 1. cum gl. l. 2. C. qvan. lic. un. ſin jud:* Populatoris vel Furis nocturni *d. l. 1. l. 4. §. 1. ad L. Aqvil.* Adgreſſoris & Stupratoris violenti *l. 3. juſt. & jur. Ab Imperio* proſcribti *ord. cam. p. 2. t. 9. §* So jemand: Adulteri filiæ, & uxoris, *certis caſibus l. 4. C. Adult. l. marito. 24. Eod: & Nov. 117. c. fin:* Debitoris fugitivi, & furis cum re furtiva reprehenſi *ſiſtendi: l. ait. 10. §. ſi debitorem 16. qvæ in fr. credit:* Donel. *lib. 17. com. c. 2: de qvibus adcurate diſputat Dn. Boc. cl. 6. per totam diſp. 1.* b) *Eſt enim alicubi aliqvid per injurias provocato permiſſum: ut infra dicetur p. 3. th. 29. cum ſeqq.*

V.

Propoſitionis a probant veritatem ſubſeqventia SS. Scripturæ oracula: *Non ulciſceris te: neq; reſervabis odium contra filios populi tui* b. *Mea eſt ultio & retributio* c. *Cupidum ultionis ultio manet á Domino, & peccata ejus ſedulo conſervabit* d. *Deus ultionum Jehova. Deus ultionum adpare* e. Item: *Deus ulciſcens: Jehova ultor* f. *Ecce ego*, dicit Jehova, *iudico cauſſam tuam: & ulciſcar ultionem tuam* g. *Eo qvod facit Edom*, dicit Jehova, *qvando ulta eſt ultionem contra domum Judæ: ut ulti ſunt ſeſe de eis: idcirco extendam manum meam ſuper Edom, & ſubcidam homines & jumenta* h. *Non vosmet ipſos ulciſcentes dilecti: ſed date locum iræ*: Scribtum eſt enim: *mihi ultio: ego rependam* inqvit Dominus i. Novimus eum qvi dixit: *meum eſt ulciſci, ego rependam*: dicit Dominus k. Item hæc: *Ne dicas: reddam malum. Exſpecta Jehovam: & ſalvum faciet te* l. *Ne dicas: qvemadmodum fecit mihi, ſic faciam ei: reddam ipſi viro ſecundum opus ſuum* m. *Benedicite iis, qvi vos inſectantur. Benedicite*, inqvam, *& ne inprecemini. Nemini malum pro malo viciſſim reddentes. Ne vincaris ab eo, qvod malum eſt: ſed vince bonitate malitiam* n. *Conviciis adfecti bene precamur: perſecutionem patientes, ſuſtinemus: infamati, precamur* o. *Videte ne qvis malum pro malo cuipiam reddat: ſed ſemper beneficentiam ſectemini, tum inter vos mutuo: tum erga omnes* p. Deniq; *omnes ſitis concordes: qvùq; mutuo moleſtiarum ſenſu tangamini: fraterna præditi caritate: miſericordes: comes: non retalliantes malum pro malo: nec* CONVICIUM *pro* CONVICIO: *ſed contra benedicentes* q. *Siqvidem in hoc vocati eſtis: qvoniam & Chriſtus adflictus eſt pro nobis: ut inſeqveremini veſtigia ipſius: qvi cum conviciis adficeretur, non regeſſit* (οὐκ ἀντελοιδόρει) *convicia: cum malis adficeretur, non minabatur: ſed commiſit vindictam ei, qvi judicat juſte* r. *Ego vero*, inqvit Filius Dei, *dico vobis: diligite inimicos veſtros: benedicite iis, qvi devovent vos* s. *Sed vobis dico*, inqvit idem, *qvi auditis, diligite inimicos veſtros: benefacite iis, qvi vos oderunt. Benedicite iis qvi devovent vos: & orate pro iis qvi infeſtant vos* t. *Omnino impotentia eſt in vobis*, inqvit Div. Ap. Pavllus: *qvod judicia habetis inter vos ipſos. Qvare non potius injuriam patimini: cur non potius damnum accipitis? At vos injuriam facitis: & damno adficitis: cum tamen ſitis Fratres* u. *Stulti enim in ipſa die cognoſcetur ira: ſed qvi operit ignominiam ſibi factam, callidus eſt* x. *Sitis igitur induti, ut electi Dei ſancti, ac dilecti, viſceribus miſerationum: benignitate: modeſtia: manſvetudine: lenitate: tolerantes alii alios: & condonantes vobis mutuo: ſi qvis adverſus aliqvem habuerit qverelam: ſicut & Chriſtus condonavit vobis, ita & vos* y.

a) Nimirum.

a) *Nimirum: qvod propria vindicta: & mali per malum: convicii, item per convicium repulſio, ſint peccata a Deo ſevere prohibita.* b) Levit. 19. v. 18. c) Devt. 33. v. 35. d) Eccleſ. 28. v. 1. e) Pſalm. 94. v. 1. f) Nahum 1. v. 8. g) Jerem. 51. v. 36. h) Ezechiel. 25. v. 12. 13. i) Rom. 12. v. 19. k) Hebr. 10. v. 30. *Qvibus SS. Scripturæ Legibus privata vindicta ſevere prohibetur: ſub comminatione graviſſimarum æterni exitii pœnarum. Cujus prohibitionis ratio inculcatur ſæpius: qvia nimirum Ultio, de peccatis hominum ſumenda eſt ἀξίωμα ſoli Deo omnipotenti, omniſcio. & juſtiſſimo judici atq; ipſius in hoc mundo vicariis, legitimis Magiſtratibus reſervatum: qvod qvi ſibi privata avctoritate ſumunt, in læſæ Majjeſtatis divinæ & humanæ crimen incurrunt: cum Juriſdictionem, qvam ſibi ſoli Deus reſervavit, ad ſe vano, & inſano avſu transferre, & violentas illi manus inferre ſatagant. Qvod qvin à SS. Scripturæ præceptis abnormiter abhorreat: nemo Chriſtianæ Religionis cultor dubitare poteſt.* l) Proverb. 20. v. 22. m) Ibid. c. 24. v. 29. & c. 12. v. 16. n) Rom. 12. v. 14. 17. 21. o) 1. Corinth. 4. v. 12. & 13. p) 1. Theſſal. 5. v. 15. q) 1. Petr. 3. v. 8. 9. r) 1. Petr. 2. v. 21. 23: *qvod explanatur etjam infra p. 3. th. 11. lit. E. Cum igitur ſimus, & eſſe debeamus imitatores Chriſti: ut filii dilecti Epheſ. 5. v. 1: qva fronte Chriſtiani Retortionis jura prætendere potuerimus à Chriſto reprobata? Valeat ergo D. Auguſtini illud:* malo multas obliviſci injurias: qvam imaginem & ſimilitudinem conditoris amittere: *Serm. 32. de temp.* s) Matth. 5. v. 44. t) Luc. 6. v. 27. 28. u) 1. Corinth. 6. v. 7. 8. x) Proverb. 12. v. 16. y) Coloſſ. 3. v. 12. 13. *Qvibus cum præceptum hoc ſit: Qvod malum, non malo: ſed beneficentia: & convicium, non convitio: ſed benevolentia ſit excipiendum: & injuria, ſi qva ſit inlata, muſſitanda: dubium eſt nullum: qvin ſit præceptis divinis contrarium: ſi qvis malum malo: & conviciū convicio velit eſſe retaliandum. Qvo poſito, de veritate connexionis conſeqventiæ in propoſitione majore, controverſia nulla moveri poteſt: cum certum ſit hoc: ſi propria vindicta & retaliatio mali cum malo: convitii, cum convitio, in ſacris litteris ſunt res prohibitæ: qvod etjam ſint ex Chriſtiano thoro & foro exterminandæ: cum* qvod ſeqvitur ad conſeqvens bonæ conſeqventiæ: ſeqvatur & ad antecedens: *ut Logicorum maxima docet in Phil. Melan. Dial. lib. 3 de reg. conſeq. reg. 2. Concludam igitur hanc theſin ſummi ex vetuſtiorib. Theologi* Lactantii Firmiani *teſtimonio:* Juſtus, *inqvit,* maledicenti benedicto reſpondeat: nunqvam ipſe maledicat. *Si qvis extiterit tam protervus: qvi bono & juſto faciat injuriam: clementer ac moderate ferat: & ultionem ſuam non ſibi adſumat: ſed judicio Dei reſervet.* Nec tantum hoc cavebit: ut ipſe injuriam non inferat: ſed ut inlatam ſibi non vindicet. Sedet e-

nim maximus & æqviſſimus Judex, Speculator, ac teſtis omnium: *lib. 6. c. 18. Inſtit. divin.*

VI.

Qvod *Adſumtio* ſibi conſtet, ex conlatione præceptorum, qvæ de hac *Retortione* injuriarum vulgo recepta ſparguntur, cum recenſitis SS. *Scriptura* legibus; probatu difficile non erit. Hæ enim *privatam vindictam* in injuria ulciſcenda ſevere prohibent: illa eandem permittunt a. Hæ malum malo, & *convicium convicio* retundi non modo vetant: ſed plane contrarium: nimirum, ut malum bono: convicium vel maledictum benedictione, & humanitatis officio reconcilietur, mandant: illa *injuriam injuria: convitium convitio* ex animi deliberato conſilio retorqveri prorſus impune concedunt b: & retorqvendi, qvaſi in re bene gerenda certos modos præſcribunt.

a) *Qvamvis enim vulgo proteſtentur aliqvi: qvod hanc* Retortionem *cum* vindictæ *ſtudio conjunctam nolint: proteſtatio tamen illa facto contraria eſt: cum qvod nulla retortio prout illa vulgo recepta, ſine vindicta neq; fingi neq; pingi poſſit: tum qvod Dn.* Boecerus *magni nominis JCtus, & inter hujjus juris Profeſſores Anteſignanus, injuriæ inlatæ* Relationem *(ſic enim ille jus hoc adpellat) non modo* privatæ vindictæ *ſpeciem diſerte faciat claſ. 6. diſp. 11. th. 3. & 33. Sed etjam in com. ad tit. de fam: lib. c. 3. n. 47. docuerit:* Retortionem *hanc eſſe* privatum vindictæ arbitrium: *qvo qvis ſe ipſum vindicet: ipſe ſibi jure* Judex exſiſtat, & ultor: *qvi jus dicentis avctoritatem qvam implorare debuerat, neglexit n. 51. 52. & in propria cavſſa judex* injuriam ſibi inlatam ultus eſt: *n. 55: & ſe ulciſcens injuriam inlatam* vindicavit: *n.* 58. Qv*od item retorqvens non modo regerat injuriam acceptam: ſed inſuper* injuria *& qvidẽ* plerumq; graviori *adfligat conviciatorem: ut idem docet ibidem n. 56. &* 60. *Qvæ omnia eiſdem pœne verbis in hunc ſenſum ex com. Dn.* Boceri, *ut ipſe teſtatur, repetivit, qvi hac in cavſſa familiam ducit, Dn.* Harprecht. *in com. de Injur. §.* Hæc *actio n.* 79 *cum ſeqq. Et qvi hujjus veſtigia legit, Dn.* Berlichius *p. 5. concl. 64 n.* 40. *cum ſeqq: ubi dicit: qvod actio injuriarum æſtimatoria principaliter ad* vindictam tendat, in cujjus locum adinventa ſit Retortio *n.* 43. *Qvos ſeqvitur D. G.* Frantz. *qvi in jurid. exerc.* 12. *qvæſt. 7. diſerte & præ aliis candide ſcribit: qvo retortionis vis non in nuda repulſione: ſed* inſuper in qvadam Relæſione, *qvæ ex retortione illa immediate oriatur, conſiſtat: qvia exiguum proficeret injuriæ inlatæ negatio &*

ſimplex:

Digitized by Google

ſimplex depulſio: niſi accederet relædens qvædam retortio : *n. 14. & 18.* *Et hoc probat etjam* Schraderus *de ſevd. p. 9. c. 4. n. 124. Tib. Decian reſp 53. n. 4. 5. vol. 3. Qvos licet improbant.* Minſ. *reſp. 7. n. 26.* Schult. *ad M. Piſt. q. 128. n. 28.* Obrech. *de neceſſ. def. c. 2. n. 18: & ſic ebpugnent Socios ſuos : ex illis tamen aliud inferri non poteſt : qvam qvod Retortio vulgo tradita ſit ex natura ſua, tam* propria : *qvam* privata vindicta : *qvæ regulariter in Jure Civili: & imprimis Divino graviſſima ſub pœna privatis eſt interdictum.* b) *Qvod in hac vulgo jactata Retortione convicium inlatum alio convicio, & eo plerumq; graviore retundatur, id ex iisdem jam nominatis, & aliis hoc jus profitentibus* Dd. *eſt manifeſtum.* Bocerus *enim in d. diſp. 1. th. 33. expreſſe docet : qvod injuria adfectus in auctorem illius aliam* injuriam regerere poſſit : *& illam plerumq;* graviorem, *videlicet* : tu mentiris: *vel:* tu mentiris ut ſcelestus, fur, prædo &c *qvod in d. c. 3. ſam. lib. plurib. explanat ut pavllo ante dictum.* Sic Berlich. *d. loc. in pr. tradit. qvod injuriam* injuria retorqvere *liceat.* Et *hoc repetit etjam Dn.* Harpr. *d. loc. n. 85. qvod minime levis res ſit retortio : qva non ſolum accepta injuria rejiciatur in injuriantem : ſed* inſuper idem ille injuria adfligatur & oneretur ab ipſo retorqvente : *ut æqva conparatione inſtituta ſua injuriæ relatione* plus gravet injuriantem : *qvam ſi* injuriæ æſtimationem ab eo conſeqveretur. *Qvomodo idem* Harprechtus *de Nobili qvodam injuria adfecto à vili perſona dicit : qvia vilis perſona nihil faciat contrariam mendacii objectionem: atq; ideo* parem contumeliam *verbali defenſione referrè neqveat : qvod idcirco verberib. illum inſuper multare qveat : d. §. hæc actio. n. 193. Ex qvo iterum aliud inferri neqvit : qvam qvod Retorqvens malo inlato, vel convicio objecto, aliud malum, vel convicium, & qvidem* plerumq; gravius, *inlatum obponat : qvod in* jure Divino; *tam veteri : qvam recenti : inprimis à Filio Dei, & ipſius Apoſtolis probibitum exſtat.*

VII.

Ex qvo bene poſito principio *concluſio* ſeqvitur indubitata : nimirum : qvod hoc de Retortione nuper invectum dogma, qvia SS. Scribturæ præceptis eſt contrarium, ex Scholis & ſoro juridico Christianorum penitus ſit ad glacialem Oceanum amandandum. Qvod hic primo loco oportuit demonſtratum.

IIX.

Seqvitur aliud ex alio derivatum fonte : cujjus hæc eſt ſumma :

Digitized by Google

Si qvod in Juriſprudentia præceptum reperiatur à vera Philoſophia a principiis abhorrens: id ex bonorum virorum conſortio removetor.

a) Practicorum *hic, uti vulgo nuncupantur, ex imo depromtum avdio cachinnum: qvi Principium hoc, ut è Schola productum, exſibilare ſatagent.* Qvibus *avctoritatem* Ulpiani *noſtri in l. 1. §. 1. de Juſt. & Jur. objicio: Qvi ſummi & optimi Principis Trajani in Imp. Rom. qvando florentiſſimum fuit, ſupremus Conſiliarius Aulicus, ſi ex veræ* Philoſophiæ *doctrina lavdem adfectare; & ad* Phiſophiæ principia *Juriſprudentiam revocare, ſibi honorificum duxit: mihi hoc vitio verti non potuerit.* Per veram *avtem &* non ſimulatam Philoſophiam *intelligo illam: qvam* Ethicam *vel* moralem *vocant: in qva naturalis ratio* tria præcepta *conſtituit ſumma: ad qvæ tanqvam ad Lydium lapidem omnes Juriſprudentiæ poſitiones examinandæ: qvæ ſunt:* Honeſt vivere: neminem lædere; Suum cuiq; tribuere*: l. omnes populi, 9. inf. cum l. ſeq. §. 1. Eod.*

IX.

Qvo iterum firmiter ſtatuto ſic argumentor: *Qvod alios lædit: in ſuum cuiq; tribuendo perperam procedit: & in bonus honeſte vivendi mores inpingit; id ex foro juridico* [a]*, ut vera Philoſophiæ contrarium* [b] *removeri debet.*

At hoc agit vulgo recepta Retortionis doctrina: Ergo ex foro juridico removenda.

a) *In qvo non alii: qvam* viri boni *verſari debent: qvia Jus eſt* ars boni & æqvi*: & Juriſconſulti* boni & æqvi notitiam *profitentes, hoc, ut præmiis & pœnis bonos viros efficiant, agere debent: teſte Ulpiano d. l. 1. §. 1.* b) *Qvia hæc tria juris præcepta ſunt ex intimis veræ Philoſophiæ practicæ ſcriniis excerpta: qvibus qvod eſt adverſum: merito repudiandum.*

X.

De *propoſitionis* veritate non eſt qvod laboretur: Cum ex contrariis uno poſito, ſit alterum removendum [a]. *Adſumtionis, in tres partes* ſecandæ, veritatem confirmo ſeqventibus proſyllogiſmis.

a) *Si enim in foro vivere cupiens Juridico debet* neminem lædere: ſuum cuiq; legi*timo modo* tribuere: & honeſte vivere: *Seqvitur qvod ſecus faciens inibi verſari non poſſit: cum poſito contrariorum uno ſit alterum tollendum.*

Qvoad

Digitized by Google

XI.

Qvoad *primam partem*: Qvisqvis alium injuria, vel contumelia verborum adficit: is illum ſic adfectum lædit.

Sed retorqvens injuriam ex modo vulgò præſcribto, inprimis per libellum à Notario & teſtibus vel etjam aliter oblatum [a], adficit verbali injuria & contumelia illum, in qvem vulgari more injuriam retorqvet: vel cui Libellum retortionis obferri curat. Ergo illum lædit.

a) *Qvamvis enim id etjam in aliis vulgo confictis retorqvendi modis obtineat: qvia tamen in hoc modo illa præ ceteris elucescit iniqvitas, qvæ venit obpugnanda mihi, mentionem hujjus facere potiſſimam hic adlubeſcit.*

XII.

De hujjus *propoſitione* iterum controverſia nulla fuerit: cum injuria lædat, & ignominia adficiat illum, in qvem conjicitur [a]: *Adſumtio* confirmatur ex illis qvæ pavllo ante ſunt ex Dd. [b] adlegata: & eſt per ſe manifeſta ex definitione Retortionis, qvæ in eo verſatur: qvod injuriam inlatam alia injuria contra inlata recompenſare velit [c]. Ex qvo ſeqvitur qvod retorqvens, injuriam inferat, & contumelia adficiat illum, in qvem retortionis tela revibrare ſe putat.

a) *Qvia poſita ſpecie, genus eſt neceſſario ſimul ponendum: qvia injuriarum inlatio eſt læſionis ſpecies.* b) *Qvi Retortionis Doctrinam profitentur, in notis ad hujjus part. 2. th. 6. ſub lit. A & B ſubjectis.* c) *Sic enim* Berlichius *Retortionem definit: qvod ſit qvando* injuria retorqvetur in illum qvi injuriam intulerat: *d. conc. 64. n. 1.*

XIII.

Inſurgent hic omnes *Retortionis* hujjus & Magiſtri, & Doctores: qvi falſiſſimum clamabunt hoc pronunciatum meum: ſiqvidem ſit notiſſimum: Qvod *Retorqvens animum injuriandi, ſine qvo injuria non poteſt inferri, non habeat*: cum retorqvendo hoc tantum agat: ut famam, honorem, & exiſtimationem ſuam, contra illum, qvi injuri-

am

am ante intulerat, defendendo injuriam injuria repellat. Qva in repulſa tanto minus injuria adfectus peccet: qvanto majjor pro illo, cui vis intentatur, ratio militat: qvod *vim vi repellere qvovis modo liceat* [a].

a) *Per decantatiſſimam, l. ut vim. 3. juſt. & jur. Eſt enim hæc, inqvit Cicero in Orat. pro Milon,* non ſcribta, ſed nata lex: qvam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipſa arripuimus, havſimus, expresſimus: ad qvam non docti: ſed facti: non inſtituti: ſed inbuti ſumus: ut ſi vita noſtra in aliqvas inſidias: ſi in vim: in tela: avt latronum: avt inimicorum incidisſet: omnis honeſta ratio esſet expediendæ ſalutis. *Unde pronunciatum illud* Ovid. *lib. 3. de art. amand.*

Judice me, fravs eſt concesſa repellere fravdem:
Armaq; in armatos ſumere jura ſinunt.

XIV.

Sed oleum & operam perdunt: Cum qvæ hîc pro *paribus* vel *ſimilibus* vulgo venditantur â plerisq; Retortionis Dd. reipſa ſint juxta ſepoſita valde *imparia* & *diſſimilima*. Diſtingvendum enim eſt primum inter vim *Realem* [a] & *Verbalem* [b]: Deinde inter vim *de futuro & præſenti* inpendentem: & *de præterito* jam inlatam. In *priori* caſu, qvoad vim *realem* & *inpendentem* locum habet interdum: qvod de *vi per vim repellenda* concesſum dicitur.

a) *Qvæ alicujjus corpori vel bonis, actu plerumq; manuum vel pedum infertur.*
b) *Qvæ bonori alicujius* ſolis verbis, *ſive* dictis, *ſive* ſcribtis *inferri vulgo: ſed perperam, & falſo, ut infra dicetur, putatur.*

XV.

Interdum dico: videlicet, ſi *necesſitas inevitabilis* ſic urgeat: ut alia periculum impendens [a] præcavendi, vel evadendi [b] via: qvam per vim repellentem [c] nulla ſuperſit: qva qvis ingredi ſine certisſimo periculo posſit.

a) *l. Si ex plagis 52. §. 1. ad L. Aqv. Gail 1. pac. p. c. 16. n. 17. Veſenb. conſ.* 19. *n.* 57. Sileat *enim* leges inter arma, nec ſe exſpectari jubent: cum ei qvi exſpectare

ſpectare velit, ante injuſta pœna luenda ſit, qvam juſta petenda*: inqvit Cicero pro Milon.* b*) Qvod ſi enim ſe obſerat obcaſio elabendi, & evitandi periculum inſtans: ad hoc violentum remedium recurrere non licet: qvod* extrema neceſſitas, *qva legem non habet, extorqvet: qva ceſſante ceſſat & vim vi repellendi licentia: l. ſed etſi 5. l. ſcientiam, 45. §. qvi cum aliter. Ad. L. Aqv: l. 2. C. de ſicar. C. ſi furioſus: de Homicid: ord: Criminal: Caroli V. art. 140. & art. 142.* c) *l. 2. 3. C. Sicar: l. ut vim: J. & J. l. 1. C. unde vi. l. 3. §. Cum igitur. vi & vi arm: C. ſignificaſti 18. X Homicid:*

XVI.

In *poſteriore* caſu qvo ad injuriam *verbalem*, & *vim jam inlatam*, propulſatio talis *per vim* locum habet nulla: neq; vero per naturam habere poteſt: cum qvia id, qvod eſt ſemel factum, infectum fieri: vel ne fiat, repelli non poteſt *a*: tum qvia verba per ſe ſpectata nullo retorqveri, vel propulſari posſunt modo *b*: ſemel ſive dicta: ſive ſcribta. Immo nulla injuria verbalis, utut omnium ſit atrocisſima, famæ, vel honori vulnus ullum poteſt infligere tam periculoſum: qvod avctoritate judicis curari, reparari, & in integrum non posſit reſtitui: ut ad illud, & qvamvis vim de præterito inlatam *c*, qvo vindicari qveat, judicis avctoritatem implorare: non privatam exercere vindictam *d* qvivis debeat.

a) *Facti enim cavſæ nulla ratione posſunt fieri infactæ, vel (ut Holoander legit) Infecta l. in bello 12. §. facti: 2. Capt: & poſtl: rev: Et* verum eſt*:* qvod neq; pacta, neq; ſtipulationes factum mutare posſint. Qvod enim inposſibile eſt: neq; pacto, neq; ſtipulatione poteſt comprehendi, *ut utilem actionem aut factum efficere posſit l. verum. 31. R. J.* b*) ut probabitur ſeqvente theſi.* c*) talem ſcilicet, qva non continuetur repetita: ſed ceſſet à porro faciendo, ſemel facta. Alias enim ſi inſtaret vim inferens plura conando: ut fieri vincta cœpta ſit: ut adhuc præſens ſit:* & *inſtare amplius videatur: tunc futuro, & præſenti conatui violento, nunc inſtanti, per vim reſiſtere nemo prohibetur: Stuccius Acad: diſp. tom. 1. diſp. 3. th. 12.* d) Q*via* non eſt ſingulis concedendum: qvod per Magiſtratum poteſt publice fieri, ne obcaſio ſit majjoris tumultus faciendi*: l. non eſt 176. R. J. tit. C. Qv; lic: ſine: ſe. ſin. jud. vind:* Cum judices litigantibus dentur, ut eorum arbitru utantur. *l. 13. §. de præteritis. Uſufr:*

Digitized by Google

XVII.

Exemplis res inclareſcet. I. *Mævius* gladio *Titium* eſt adgreſſus, & primo inſultu vulnus capiti ipſius inflixit[a]: cumq; porro cædere[b] conaretur: *Titius*, cum fuga ſe ex hoc periculo eripere non poſſet ſine certo vitæ diſcrimine: correptum fuſtem capiti Mævii impingens, ut obcumberet, repulit ictum gladio evibratum. II. *Aulus* atrox *Sejo* convicium fecit: furta, & latrocinia nunqvam patrata exprobrando publice. *Sejus* audito convicio, *Aulum* egregie, ut peſſimum furem, & latronem mentiri proclamavit publice. Qvid juris? Scilicet *Titius vim vi* repellendo[c] juſte egit: etjamſi *Mævius* hinc ſit obciſus[d]. *Sejus* non item injuriam factam injuria recte retorſit[e]: neq; retorqvendo juſte[f] egit.

a) *Inflictum hoc vulnus, qvia jam factum, repellere non potuit, Titius: ſed perpeti ſibi inflictum coactus fuit.* b) *Qvo aliud vulnus infligere volebat: qvod vi repulit: neq; vero id, qvod jam ante erat inflictum: ſed qvod impendebat adhuc infligendum: à qvo, ne illud infligeret, fuſte impacto adgreſſor impeditus fuit.* c) *Verbera ſcilicet ſibi intentata ita repellendo verberibus: ut qvo deſtinata erant, ad vulnus capiti infligendum, pervenire non potuerint, fuſte repercuſſa.* d) *Caſum enim hunc neceſſitas inevitabilis excuſat: qvia fuit in vitæ diſcrimine ſummo poſitus Titius: ex qvo aliter qvam repercutiendo ſe non potuit eripere: cum copia judicis compellandi ſibi dari non poſſet: & ſi letale vulnus capiti Titii fuiſſet inflictum: ejus curandi, & in integrum reſtituendi nulla ſpes ſuper fuiſſet.* e) *Qvia convicium jam erat dictum, factum: qvod retorqvere Sejus, ne fieret, neqvaqvam potuit: qvia factum jam erat: qvod infectum reddi neqvivit. Nam qvod* Horat: *lib. 1. epiſt. 18. his verbis monet;*

Qvid de qvoq; viro: & cuj dicas, ſæpe videto:
Percunctatorem fugito: nam garrulus idem eſt.
Nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures:
Et ſemel emiſſum volat irrevocabile verbum:

id hic merito locum habebit. Si enim irrevocabile *eſt hoc convitii verbum: qvod in avres, qvo ad* rem ſignificatam *præſentium, qvi audiverunt illud, penetravit: & qvo ad* ſonum *in aere evanuit: qvi potuit id ex avribus revocatum qvaſi non fuiſſet dictum: vel ex aëre recollectum retorqveri: ut illius memoria eſſet exſtincta?* Immò *hujuſmodi injuriarum illa conditio eſt: ut ne qvidem nondum facta, ne fiant, repelli qveant.*

Digitized by Google

qveant. *Non enim Sejjus, qvod Actio in animo eſſes convitium evomere, præſagire potuit. Et ſi maxime præſaga mens illius fuiſſet; lingvæ tamen Actii Sejjus frenum, qvo minus convicium ejacularet, inficere non valuit. Tanta enim hujjus membri, in homine ut peſſimi; ſic & optimi, cenſente Pittaco Philoſopho, volubilitas eſt: & in proferendo celeritas: ut Sejjus etjamſi præſcivuſſet convicium ire prolatum, repellere id proferendum, ne proferretur, non potuerit.* Levis qvidem ſermo *inqvit D. Bernh. in ſermone qvodam,* qvia leviter volat: ſed graviter vulnerat: leviter tranſit, ſed graviter urit: leviter animum penitrat, ſed non leviter exit: leviter profertur: ſed non leviter revocatur: facile volat, ideo facile caritatem violat: tenerum membrum lingva: attamen vix teneri poteſt: ſubſtantia qvidem infirmum, atq; exiguum: ſed uſu magnum & validum invenitur. *Nihil enim tam volucre:* qvam maledictum: nihil tam facile emittitur: nihil latius diſſipatur: *ut teſtis eſt Cicero oratione pro Planco.* f) *Qvia hæc omnia ſecus ſe habuerunt in* Mævio *&* Titio. *Cum enim hic illum viderit, vel ſaltem videre potuerit, in ſe gladio ſtricto inruiturum. & inruentis verbera inpendentia fuſte correpto, verberibus contra evibratis, & adgreſſoris violenti brachio, capiti, vel aliis membris inpactis, à ſe repellere potuit; juſtam defendendi cavſſam habuit: cum aliter qvam reverberando periculum vitæ qvod irrecuperabile damnum dediſſet, evadere non liceret. Alia eſt cavſſa convicii in puncto & momento temporis evomiti: qvi ſonus eſt in avres penitrans, & in aërem evaneſcens; qvem ne qvidem acerrimus omnium pugil repercutere, ne penitraret, vel in aërem evaneſceret, potuiſſet.* *Neq; vero neceſſe fuit Sejjo, ut in continenti reſiſteret: cum vulnus hoc famæ ſuæ impactum facili negotio per avctoritatem judicis ſanare, & maculam honori injectam abſtergere infra anni ſpacium potuiſſet. Vanum igitur, falſum, & ineptum: qvod de injuria per injuriam repellenda vulgo jactitant. Ut enim* Titius *vulneratus à* Mævio, *ſi* Mævium *poſtea vel fugientem, vel non amplius verberare volentem letaliter contra vulneraſſet; ſuum vulnus non repuliſſet: ſed ut nactus ſuum habere ſibi inflictum, coactus fuiſſet: & qvia extra caſum neceſſitatis* Mævium *occidiſſet, pœna conſtringi debuiſſet:* Sic Sejjus *injuria pulſatus, cum injuriam ſimilem poſt in Actium rejecit: ſuam ſibi inlatam non repulit à ſe: ſed contra aliam* Actio *inflixit: ſuam ut perpeſſus erat antea: ſic & poſtea per hanc relationem non abjecit. Hinc adparet rectè ſenſiſſe* ſummam Silveſtrinam *in tit. injuria §. 4. in fine: qvando præcipit: hoc, qvod de repellenda injuria dicitur, intelligendum eſſe de injuria* qvando adhuc eſt in fieri: *non avtem* in facto. *Facta enim injuria (reali) non eſt licitum percutere, ne qvidem* in continenti: *qvia non eſſet* defenſio: *ſed* vindicta: *niſi forte ſecundum Innocent. timeretur geminata percuſſio: ut idem Bart: dict: ſum. Silveſtri. tit. Bellum 2 §. 1.*

Nodum

XIIX.

Nodum hunc diſſecturus *Retortionis* Doctor [a] ſic reſpondet: *primum*, qvod [b] inferens injuriam verbalem, *habere animum: præſumatur: plura convicia inferendi: qvæ injuria jam adſectus, ne pluribus proſcindatur conviciis, retorqvere, & imminentia convicia ſic propulſare poſſit.* *Deinde* licet forſan hic metus non ſubſit: qvia tamen convicium illud vires etjam poſt exſerat: ut injuria adflicti fama apud bonos gravata maneat: Retortionem hoc operari [c]: ut ad excludendam honoris obſenſionem etjam poſtea faciat.

a) Harprecht. *d. §. Hæc actio. n. 98. cum ſeqq. Inſt. de Injur.* b) *Sicut percutiens perſiſtendo in rixa repercutere velle præſumitur: Sic in hoc periculo conſtitutus, ſi convicianti dixerit:* tu mentiris: *vel deterrebitur ille â conviciando: vel ſi non abſtineat: per objectionem mendacii avctoritas verborum injurioſorum diminuetur: ut minus obſendere poſſint: cum mendaci fides non adhibeatur: inqvit* Harprecht. *d. loc. n. 99.* c) *Etjam poſt criminationem præteritam: & eo tempore, qvo altercatio ſedata eſt, & novum crimen imminere non videtur: Harprecht. ibid. n.* 100.

XIX.

Prius inſipidum: cum qvod periculum, qvod prætextu neceſſitatis inevitabilis defenſorem excuſat, non debeat eſſe præſumtum: ſed certiſſimum, & cum damno inreparabili evidenter conſpicuum [a]: tum qvod tantum abſit: ut *recriminatione* vel *retortione* injuriarum inlatarum, injuriæ jactator ab injuriis pluribus inferendis abſterreri poſſit: ut tanto magis ad majores & atrociores inmittendas [b] exaſperetur.

a) *Cavſſa enim permiſſiva vindictæ privatæ* ſola *eſt* neceſſitas: *qva qvis in tanto verſatur vitæ, famæ, vel bonorum & qvidem inrecuperabilis jacturæ diſcrimine: ut illud, niſi in continenti, ſeipſum privata vindicet avctoritate, evitare vel reparare neqvaqvam poſſit. Qvod cum in facto conſtet:* probari debet evidenter, non ex conjecturis præſumi. *Licet enim fieri poſſit: ut convicium faciens plura facere velit: qvia tamen hoc ambiguum eſt: cum etjam tacere poſſit: nihil hinc inferri poteſt in cavſſa tanta momenti. Alioqvin hoc pari ratione dici poſſet: qvod qvis illum,*

qvo

qui ſibi ante vulnus intulerat, ex intervallo etjam nihil conantem, vulneribus conficere poſſet: quia præſumeretur plura inpacturus: Quod abſurdum dictu: Deinde *negari non poteſt: quod convicium etjam atrociſſimum nunqvam viri boni famæ tam crudele inurat vulnus: quod à judice curari, & in integrum reponi non poſſit: ſi poſtmodu avctoritas ipſius imploretur. Adeo ut cavſſa nulla urgeat injuria adfectum; ut privata avctoritate ſe ulciſcatur, cum judicis officium, ſi implorare velit, ſtatim ſuo malo remedium invenire poſſit efficaciſſimum.* b) *Qvod experientia cottidiana teſtatum facit, cum nihil ſit freqventius, qvam qvod in conviviis, & ſympoſiis vel aliis congreſſibus, ad vocem criminationis,* tu mentiris: *mox ad* recriminationes, *& hinc ad colaphos, pugnas, provocationes vulnera, cædes, & homicidia prorumpunt, non tantum* vulgi fex: *ſed inprimis, illi qvi* Nobiles *haberi volunt. Hic enim illud ſubito reſonat, tanqvam ex tripode dictum:* Auff ein Lügen (*h. e.* Lügenſtraff *vel mendacii exprobrationem*) gehöret eine Maulſchelle: *qvi primus & ultimus* Retortionis *hujjusmodi fructus. Et qvod ex hac* retortione *pullulent infinitæ lites, & injuriæ, qvodq; hic modus non ſit comprimendi, vel reprimendi, vel componendi injurias: ſed multo magis illas in infinitum exaſperandi, probatur ex ſapientum & præceptis, & exemplis infra th. 28. prolatis.*

XX.

Poſterius inlicitum: & ex parte *vanum.* Utut enim injuria facta hæreat in animis avditorum, & adcipientis injuriam fama prægravata forſan aliqvatenus maneat [a]: Non tamen hæc ratio facit: ut ad *Retortionem* [b], injuriam paſſus defugere cogatur: Cum habeat im promtu ordinarium judicii remedium: qvo vulnus hoc modo omnium tutiſſimo curari poteſt [c]: Neq; vero hic *Retortionis,* ut injuriæ maculam abſtergat, fructus: qvi ſit â *Ratione* probatus: vel â *jure* [d].

a) *Non enim aberrat à vero vulgatum illud:* Calumniare avdacter: qvia ſemper aliqvid hæret: *qvod* Medius, *qvi in avla Regis Mac. Alexandri Paraſitus famoſiſſimus fuit, præceptum ſceleſtiſſimum (qvo Diabolus, cenſore* Eraſmo, *nullum ſceleſtius ſubgerere potuiſſet) reliqvit, à multis etjam hodie obſervari ſolitum. Cujjus hanc rationem dedit,* ὅτι κἂν θεραπεύσῃ τὸ ἕλκος ὁ δεδηγμένος, ἡ οὐλὴ μένει τῆς διαβολῆς, *h. e. Qvod etjamſi Sycophantæ morſu vulnus viro bono inflictum ſanari poſſit: cicatrix tamen aliqva forſan in ore, & opinione vulgi, maxime vero hominum malevolorum maneat, ut refert Plut. in lib. de diſcrim. Adſentatoris, & amici, &*

Digitized by Google

Eraſm. lib. 8. apoph. b) *Qvæ tantum abeſt ut maculam cicatricis reliqva curet: ut etjam ſæpiſſime vulnus, qvod jam coaluerat, revulſu, acerbiore cum dolore recrudeſcere faciat: ut ex dicta th. 28. pateſcet.* c) *Sunt enim ipſi obviæ actiones injuriarum, tam civiles: qvam criminales: qvibus omnium optime & tutiſſime de hac injuria qvam non poteſt, vel non vult aliqvis muſſitare, licet vindictam ſumere.* d) De Jure *poſt dicetur.* Rationem *ſi inqviramus; nusqvam reperies qvidqvam: cum convicio falſo viri boni fama,* qvo ad ſe *revera ſic non denigretur: ut abſterſione ſit opus: ſed tantum* qvo ad auditores: *qvorum animis qvandoq;, maxime ſi ſuſpicaces ſint & malevoli: aliqva ſuſpicio per convicium ſiniſtra injicitur: ſed ad qvam evellendam* Retortio *remedium fragile nimis & enerve: cum illius ſi qva ſit, per contrariam* Retortionem, *qvæ in rixis & contentionibus immo & in* Retortionis *libellis contrariis plerumq; reponitur, efficacia penitus retundatur: & ut plurimum hac Retortionis imbecula vaniſſimi qviq;, ſordibus & infamiæ macula conſpurcati, ſe tegere ſæpiſſime contra bonos qvosq; conlaborent: qvi ſi purgare ſe Retortione poſſent: nemo purior improbis, & infamibus eſſet. Qvotusqviq; enim ex vulgi fece reperitur flagitiis oneratus? qvi ſi a qvoqvam etjam viro bono increpatus forte ſit, non ad* Retortionis *ſubterfugium ſe ſubducat: & bonis negotium faceſſat? Sed, ut ad rem revertar, injuriarum in campo qvi proſtare ſolent* Auditores *avt ſunt viri* boni*: avt* mali. *Si* boni*: avt vitam & mores injuria adflicti ſibi habent* bene perſpectos*: avt horum* notitiam nullam *habent. Si* prius *ſit: non eſt de* Retortione *laborandum: cum* viri boni difficilime alios improbos eſſe ſuſpicentur, *teſte* Cic: *ad Q. Fratr: ſed contemnant adſpergines hujjusmodi bonis viris injectas.* Sin poſterius: *fieri qvidem ſolet, ut excitetur aliqva in his etjam bonis ſuſpicio: ſed ad qvam extenuandam* Retortio *parum, vel nihil facit: cum viliſſimus & ſordidiſſimus qvisq; ſe tueri ſic ſoleat adverſus etjam veriſſima convicia. Immo ſæpe bonorum animis* Retortio *ſuſpicionem hanc importat: ut non de nihilo convicium putent objectum: qvod tam ſit operoſe retaliatum: qvo vir* integer vitæ, ſcelerisq; purus, *ut* Horatii *phraſis habet, ſuperſedere, & ſuq; deq; ferre talia convitia ſoleret, & poſſet: ut infra ex th. 26. & 29. cernere licebit: vel potius officium judicis implorare, & honorem ſuum publico teſtimonio defendere deberet. Si vero* mali ſint *auditores hujjusmodi: nihil operabitur apud hos ne qvidem millies jurata, & iterata* Retortio*: cum horum aures ad imbibendas hujjusmodi calumnias, ut tenaciter inhæreant, ſint apertiſſimæ, & plerumq; injuriarum inlatarum adjutrices.* Non *enim* eſſent maledici*:* ſi nullum invenirent auſcultatorem*: ut* Plut*: in Lacon. teſtatur: Et* niſi ille libenter avdiſſet*:* hic conviciatus non fuiſſet*: Iſocrate cenſente. Ut non inmerito* Plavtus *hoc exſecretur;*

tur Homines qvi geſtant, qviq; auſcultant crimina :
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant :
Geſtatores lingvis : auditores avribus.

XXI.

Probato igitur: Qvod Retortio convicium nec retorqvere & poſſit jam *factum* : nec *futurum vel inſtans* præcavere, ne fieri qveat : manet hoc conſtanter verum : Qvod *Retortio* nullo fine ſibi conſtet alio : qvam ut ex *vindicta privata* injuriam ſibi inlatam alia retaliet injuria : & ſic injuriam inferendo lædat illum ; qvem injuria adflixit *relata:* Seqvitur jam qvoad *partem ſecundam : Qvisqvis avctoritate privatæ vindictam de illo, qvi ſibi fecit injuriam, ſumit : is in tribuendo ſuum cuiq; perperam procedit.*

Sed injuriam præſertim ex intervallo, ſua retorqvens auctoritate privata *vindictam* ſibi de injuriam faciente ſumit:

Ergo perperam procedit: Et per conſeqvens *ſuum cuiq; non tribuit.*

XXII.

Propoſitionis ſibi veritas hinc conſtat: qvod *vindicta retributio* ſit axioma ſoli Deo Opt: Max: proprium [a]: nemini homini, præterqvam vices Dei in hoc orbe [b] publice gerenti, permiſſum : qvod item neceſſe ſit illum, qvi tribuere vult alii ſuum, *& facultatem habere tribuendi* [c]: *& ad tribuendum eſſe illi, cui tribuere vult, inſtructum* [d]: qvod hic ſecus ſe habet.

a) *Qvod probatur ex SS. Scripturæ teſtimoniis ſupra in hac parte 2. th. 5. recenſitis.* b) *Nimirum Magiſtratui, vel ipſius judici, qvi* Dei, *vices adminiſtrat ; utpote à Deo conſtitutus 2. Paral. 2. v. 11. 1. Sam. 12. v. 13. 1. Reg. 10. v. 9 : qvi* Dei *miniſter Rom. 13. v. 4. 6 : cujus nomine judicio præſidet 2. Paral. 19. v. 6. Unde Magiſtratus Dei vocantur Pſal. 82. v. 1. Joh. 10. v. 34 35.* c) *Qvam non habet privatus : non igitur tribuere poteſt : nimirum pœnam pro delicto compenſando debitam ; qvæ ſola illud* ſuum, *qvod injuriam facienti tribuendum.* d) *Injuria enim adfectus neutiqvam eſt injuriam facienti obligatus, ut ipſi* ſuum, *h. e.* pœnam meritam, *tribuere.*

buere cogatur : nulla nimirum obſicii ratione ad hoc obſtrictus ; extra qvod ſi tribuere velit, obſicii ſui limites egreditur.

XXIII.

Adſumtio pateſcit hinc : Qvod alius hujjus Retortionis finis, extra caſum neceſſitatis [a], ſit nullus : qvam *vindicta* [b] : cujjus praxin niſi armatus avctoritate publica, nemo exercere poteſt [c] : immo ne qvidem ſic armatus in *cavſſa propria* [d]. Secus igitur faciens ſuum cuiq; non tribuit : & ſic in præceptum hoc juris inpingit.

a) *Qvæ in hoc* Retortionis *ex intervallo caſu nulla eſt omnino : immo ne qvidem in reliqvis* Retorſionum *formis : cum ſemper injuriam paſſo pateant fores ad tribunal judicis vindictam deferendi : & nullum tempus neceſſitatis obferri poſſit : qvo judex intra annum conveniri neqveat.* b) *Defenſionis enim prætextus hic eſt vaniſſimus, & nullus, ut ſupra th. 14. cum ſeqq. dictum.* c) *Qvia privata omnis eſt prohibita vindicta : certis exceptis caſibus : de qvibus ſup. d. th. 4. & 5.* d) *Qvia nemo ſibi poteſt in propria cavſſa jus dicere.*

XXIV.

Supereſt *qvoad tertium* :

Qvisqvis optimorum qvorumcumq; ex intuitu patientiæ, manſvetudinis, humanitatis, modeſtiæ, clementiæ, & æqvanimitatis profecta tam præcepta, qvam Exempla ab omnibus omnium ſeculorum viris bonis decantata, contra faciendo negligit, vel contemnit : is in bonos honeſte vivendi mores inpingit.

Sed hoc facit, qvi injuriam, ſibi factam, poſt in facientem retorqvet.

Ergo in bonos *honeſte vivendi* mores inpingit : & per conſeqvens hæc Retortio ex foro juridico relegari debet.

XXV.

De hujjus proſyllogiſmi *Majjore* nemo dubitabit : niſi qvi vir peſſimus, & inhumanus cenſeri voluerit. *Minoris* igitur in probatione labor & opus erit : qvam ſtabilire conabor hoc iterum proſyllogiſmo :

Digitized by Google

logiſmo: *Si* ex viris bonis optimi qviq; vulgo tritæ in cavſſis injuriarum Retortionis uſum cum *preceptis*, tum *exemplis* ſuis improbarunt: ſeqvitur hos qvi *Retortionem* hanc docent, & exercent, optimorum qvorumcumq; ex intuitu *patientiæ manſvetudinis, humanitatis, magnanimitatis, & modeſtiæ* prolata *præcepta & exempla* contra faciendo negligere, & contemnere. Sed verum prius. Ergo & poſterius.

XXVI.

De hujjus iternm *majjore* nulla dubitatio. Minorem *qvoad præcepta* probant: qvi præcipiunt: *Qvod æqvo animo avdienda, toleranda, & muſſitanda ſint malevolorum in nos jactata convicia*: qvod *ad honeſta vadenti contemnendus ſit ipſe contemtus* a: cum multi qvando aliis maledicunt: convicium ſibimetipſis faciant: *qvod non expediat omnia* (qvæ ſiniſtram in partem cadunt) *videre, omnia avdire: cum multæ nos injuriæ transeant, ex qvibus pleraq; non accepit, qvi neſcit.* Qvi enim non vult eſſe iracundus: *ne ſit* (in eo qvod calumnia fingit, inqvirendo) *curioſus: qvi inqvirit, qvid in ſe dictum ſit: & malignos ſermones, etjamſi ſecreto habiti ſint, evertit, ſeipſe inqvietat. Qvædam interpretatio producit eo, ut videantur* (cum revera non ſint) *injuriæ*. Itaq; *alia differenda ſunt: alia deridenda: alia donanda. Circumſcribenda etjam multis eſt injuria: pleraq; in ludum, jocumq; vertenda* b: nec qvemadmodum *facta* ſit injuria refert: ſed qvemadmodum *Lata*: nec *qvid*: ſed *qvemadmodum feras*, intereſt: Qvia viri boni eſt, *ſcire pati: nec facere* injuriam c. Utut enim difficile ſit *injuriam convenire cum patientia* d: Remedium tamen injuriarum melius *oblivione* eſt nullum e: cum ſæpe majjori fortunæ locum fecerit injuria: & multi ceciderint, ut altius ſurgerent. Nam *ſi merito te* objurgaverit aliqvis: ſcito, *qvia profuit: ſin immerito*: ſcito, *qvia prodeſſe voluit* f: *Glorioſum eſt injuriam oblivisci* g: & probant virum fortem injuriæ: ſed *glorioſius eſt injuriam tacendo fugere: qvam reſpondendo ſuperare.* Si igitur ſervus convicium dicat: *juſtus taceat.* Si infirmus injuriam faciat: *juſtus ſufferat*: Et ſi pavper criminetur: *juſtus non reſpondeat* h: Igitur injuria laceſſitus *ne protinus turbetur* i: ſed *patienter injuriam toleret*: qvi pie meminit: *qvod fortaſſe adhuc ex ſe habeat: in*

qvo ipſe debeat tolerari [k]. In *propria injuria patientem* eſſe, lavdabile eſt utiq; [l]: Et exiſtimandus eſt *omnium injuſtiſſimus: injurias qvi ferre neqvuit plurimas* [m]: Plana profecto victoria eſt a *ſlamatione tacere: & non reſpondere provocanti*. Habet enim mercedem, & de tua patientia: & de fratris medela: *ſi oblivioni detur injuria*. Sicut enim nihil deformius: qvam reſpondere furioſis: ita nihil utilius, *qvam tacere provocatis*. Nullus eſt finis inimicitiis: *ni ad tempus obtemperemus iratis* [n]. *Qvaſdam itaq; injurias negligere: nec ad qvorundam convicia avres, & lingvam habere: vere magni eſt animi* [o]. Nihil enim ſvavius: neq; Muſicæ convenientius: *qvam poſſe convicia ferre:* ὁ λοιδορῶν γὰρ ἐὰν ὁ λοιδορούμενος μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖτ' ὁ λοιδορῶν: h. e. *conviciator inferendo convicia patitur eadem: ſi convicijs petitus contemſerit illa* [p]. Qvod obſervavit *Auguſtus* Cæſar: qvi *Tiberio* de conviciatore per epiſtolam conqverenti reſpondit: *ætati tuæ noli in hac re indulgere, & nimium indignari eo, qvod ſint: qvi male de me loqvantur. Satis enim eſt, ſi hoc habemus: ne qvis malefacere poſſit nobis* [q]. Nec male *Sigiſmundus* Imp. Purpuratis, Germanorum maledicentiam adcuſantibus, ſubridens reſpondit: *vobis igitur grave videtur: illos male de nobis loqvi: cum nos male agamus* [r]. Sed avdiamus hac de qvæſtione judicium viri inter profanos ſapientiſſimi Platonis: ita præcipientis: *Qvamobrem nullo modo injuria alteri inferenda eſt*: nec ſi injuriam paſſus fueris: ulciſci debes: *ut vulgus putat: ſiqvidem nullo modo inferenda eſt injuitia: mala avtem inferre bominibus, non dicrepat ab injuria: cum id legibus adverſetur* [s]. Idem ſancit: *civem verbis injuria ab alio affectum*, non debere verbis illum offendere [t]: ſed modeſte ſe excuſare: & ſe a vicio expurgare [u]. *Qvia illi, qvi ad verſandum inter homines animum adjecit, amplectenda eſt, qvæ a nonnullis rideri ſolet*, patientia injuriarum; animiq; remiſſio [x]. *Convicia* enim *ſi iraſcare adgnita videntur*: ſpreta exoleſcunt [y].

a) Seneca *ep. 77.* b) *Idem, Lib. 3. de ira.* c) *Idem de provid.* d) *Idem ibidem.* e) *Idem: & ex hoc* Publ. Mimus. f) Seneca *ep. 92.* g) *Div.* Auguſtinus *de verb. Dom. ſermon. 16. Idem Pſal. 91.* h) Gregorius Magnus *lib. 30. moral.* i) *Div.* Chryſoſtomus *homil. 4. de pœnit.* k) *Idem* Gregorius, *5. moral.* l) Chryſoſtomus *ſuper Matthæum.* m) *ex commentatore Græco.* n) Lay. Juſtin. *Patriarcha c. 4. in lign. vit.* Gregor. *l. 3. moral: &* Valerius *Epiſcopus*

in

in ſermon. o) Eraſmus *in ep.* p) Philem. *Com. Græcus conlect: c. 4.* Maxim. *ſerm. 10.* q) Svetonius. r) Æneas Silvius *l. 2. com. de reb. geſt. Alfonſi.* s) *in dialogo* Crito. t) *lib. 11. de Legib. citante* Franc. Piccolomineo. *Ethic. grad. 6. c. 22.* u) *Adrigite avres, Retorttonis Doctores, qvi Chriſtiani vultis eſſe! & vos præ homine Ethnico in ruborem date.* x) Plutarchus *in* Coriolano. y) Tacitus *annalium lib. 4.*

XXVII.

Qvod item ad *vindicandam injuriam,* ſi qva ſit inlata, *non debeam* *proclives eſſe*: maxime in his, nævorum exprobrationibus, qvorum nobis *conſcii* ſumus [a]: & in illis, qvæ *ſtoliditatem, inſcitiam, inopiam,* & *ingnobilitatem* nobis objiciunt: cum omnes *indocti* ſimus: & qvo felicius in ſtudiis progresſi fuimus unqvam: eo magis, nos parum, vel nihil ſcire intelligamus: omnes item *ſtulti*: cum in conſiliis, & rebus gerendis facile alucinari qveamus: omnes etjam *pavperes*: qvia nihil intulimus in mundum: & nihil efferemus: pleriq; deniq; *ingnobiles* genere ſimus: & *vera nobilitas ſola virtute* æſtimari debeat [b]: Qvamvis enim videatur eſſe

—— —— Vindicta bonum vita jucundius ipſa, [c]

potisſimum in hominibus inperitis, *qvibus nihil qvidqvam eſt injuſtius:* [d]

—— —— —— qvorum præcordia nullis
interdum aut levibus videas flagrantia cavſis: [e]

cum ex vulgi ſenſu

—— —— —— minuat vindicta dolorem; [f]

Sæpe tamen

—— —— infirmi eſt animi, exiguiq; voluptas
Ultio [g] *—— ——: qvæ ſæpe obfuit:* [h] *& animos arguit degeneres:*

Qvippe, qvod vindicta

nemo magis gaudet: qvam [i] *femina.* Nam

Qvo qvis eſt major: magis eſt placabilis ira:
Et faciles motus mens generoſa capit.

Digitized by Google

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni:
pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus urſi:
& qvæcunq; minor nobilitate fera eſt.[k]

Et licet irritabiles animi ſint optimorum ſæpe hominum; ſunt tamen placabiles iidem: & hæc agilitas molliciesq; naturæ bonitati tribuenda. Qvod ſi igitur ſtatuerimus id: qvod caput eſt: nobis inter nos noſtra ſive incommoda, ſive vitia ſive injurias eſſe tolerandas: facile hæc mitigabuntur[l]. Melior igitur venia: qvam vindicta: cum illa mitis ingenii: hæc ferini[m]. Magna enim virtus eſt: ſi non lædas, á qvo læſus es. Magna gloria eſt; ſi cui nocere potuiſti, parcas: Nobile vindictæ genus eſt, ignoſcere victo[n]. Illud ſane magnificum eſt, ſi ſubjectus contumeliis judicium Dei laudes: ſi vexatus ægritudine judicio Dei deputes[o]. Et pulcrius eſt alienam petulantiam ferre, qvam referre.[p] Immo non minus malum eſt referre injuriam: qvam inferre. Qvi n. refert injuriam; cum ipſum a qvo læſus eſt, geſtit imitari.[q] Qvia ſi ἁπλῶς prohibitum eſt ἀδικεῖν: & ſi ſimpliciter non eſt facienda injuria: certe nec ἀντιδικεῖν h. e. referre injuriam licet: cum & qvi refert, is faciat & inferat injuriam.[r] Hinc lavdatur Tit: Pomp: Att: qvod liberalitate utens nullas geſſerit inimicitias: qvia neq; læſerat qvempiam: neq; ſi qvam injuriam acceperat, non maluerat oblivisci: qvam ulciſci[s]. Et ſane ſi conſtitutum ſit: ut peccata homines peccatis: & injurias injuriis, ulciſcantur: qvantum incommodorum[t] conſeqvetur? Specioſius enim aliqvando injuriæ beneficiis vincuntur: qvam mutui odii pertinacia[u]. Nam qvi non iraſcitur: inconcuſſus in injuria perſiſtit: qvi vero iraſcitur, motus eſt[x]. Ut enim magnæ feræ latratus minutorum canum ſecure obavdiunt: & immanis fera ad latratum canum lenta reſpicit: & irritus ingenti ſcopulo fluctus adſultat: ſic proprium eſt magnitudinis veræ non ſentire ſe percuſſum: & magni ac nobilis eſt animi, negligere convicia inproborum[y]. Ut enim ſtulte agunt canes, ſaxa mordere conantes: qvando jacientes adtingere non poſſunt: ita & illi, qvi homini irato conviciantur, avt alios ulciſcuntur: ipſi cum ſint ira, vel diabolo potius inſtigati. Et ut tela â duro reſiliunt, & cum dolore etjm cædentis ſolida feriuntur: ita nulla magnum animum injuria ad ſui ſenſum[z] adducit. Qvod facere non poſſe, prave educatorum, & incontinentium

eſt

eſt hominum α. Boni enim filii, ut non ſolent injuriam invicem reponere: ſed patri deponere: ſic Chriſtiani *inlatum malum non debent referre: ſed cœleſti patri vindictam credere β.* Qvemadmodum enim remedia qvædam triſtiora ſæpe ſunt ipſo morbo: ut ſatius ſit obpetere mortem: qvam his avcupari ſalutem: ita plerumq; *ſatius eſt ferre injuriam: qvam majjori incommodo ulciſci. γ*

a) *Ut enim* Telephus *non reſpexit hoſtem, cujjus erat haſta, qva hulcus aperuerat: ita* non oportet obfendi convicio inimici: ſi verum admonet: cum hoc vertendum ſit ad vitæ correctionem. *Nam ſi vel inimicus oſtendat lutum adhærens veſti*: tuum non eſt id in illum rejicere; ſed abſtergere: *ſic ſi qvis oſtendat maculam vitæ*: non regerendum eſt convicium: ſed abſtergenda labes. Plut. *in moral. Fieri qvidem non poteſt: ut absq; hominum morſu vitæ hujjus curriculum qvis pertranſeat: malorumq; ſolatium eſt, bonos carpere: ſed tamen cito ignis ſtipulæ conqvieſcit; & exundans flamma deficientibus nutrimentis pavllatim emoritur.* Si anno præterito fama mentita eſt; avt certe ſi verum dixit: ceſſet vitium: ceſſabit rumor. *Div.* Hieronymus *ad Furiam.* b) Dav. Chytræus *de reg. vit. præc.* 8. c) Juvenalis *ſat. 13.* d) Terent. *adelph. act. 1. ſcen 2.* e) Juven. *ibidem.* f) Ovid. *rem. amor.* g) Juven. *ib.* h) Seneca *in Herc. fur.* i) Juven. *ibid.* k) Ovid. 3. *triſt. eleg.* 5. l) Cicero *ad Attic.* m) *ut* Stobæus *ſerm. 17.* Pittacum *cenſuiſſe refert.* Si *enim* imbellior eſt, qvi te læſit: parce illi. Seneca *lib. 3. de ira.* n) Hugo *de animi clavſtr. Et magnus eſt ad patientiam gradus*: non facere vexanti ea qvæ paſſus es: ſed qvieſcere. Chryſoſt. *ſuper c. 5. Matth.* o) *ita Div.* Ambroſius *exclamat.* p) Eraſm. *epiſt.* q) Lanctantis *de ira Dei & lib. 6. c. 18. inſtit. divin.* r) *ut acute diſſerit* Aretius *Theol. probl. part. 2. tit. de injur. pulſandis.* s) Cicero *in vita T. Pomp. Attici.* t) *Idem 5. de invent.* u) Val. Maxim. *lib. 4. c. 2.* x) *Seneca lib. 3. de ira. c. 25.* y) *Idem ibid. l. 2. c. 11: & Chryſoſt. homil. 30. tom. 4.* z) *Seneca d. l. 3. de ira c. 5. Abeat igitur ex Philoſophico choro* Ariſtoteles, ſanctus *ille* Philoſophus, *& qvibusdam,* Theologorum pæne Deus, *teſte* Eraſmo *in adag.* Crœſo ditior: *qvi laceſſitos injuria, ſi vindictam negligant, ſerviles homines in Ethic. ad* Nicom. *judicio vere ſervili proclamat.* α) Plutarch. *in Solon.* β) Thriver. *apophth. 12.* γ) Eraſmus: *in ſimilib. Qvia humanum eſt, ultionem inimici, ſi qvando per obcaſionem licet, negligere: Plut. de util. cap. ab inim. Et nihil fortius eſſe poteſt: nihil magis egregium: qvam avdire noxia:* & non reſpondere contraria: *h. e. non retorqvere; Hugo de clavſtr. anim.*

XXVIII.

Teſtis enim eſt Experientia: qvod hujjusmodi *retortionum vindicta* nihil aliud proficiatur: qvam qvod injuriæ ab exordio leviores, & qvæ facili negotio potuisſent componi, *fiant aſperrimæ*: & ſæpius nunqvam reconciliandæ. Ex *mutuo enim contemtu qvid oriri poteſt: niſi ſi multas ſemper gliſcens in pejus? cum irritati mali, gravius lædant.* [a] Ut enim qvi in ſcintillam ignis inflat, excitat incendium: contra vero, qvi inſpuit, exſtinguit; & utrumq; ſibi in manu eſt: qvoniam ex uno ore proficiſcitur: Sic conviciis à qvopiam conſperſus, *ſi inflatos, ac vecordes regerat, retorqvendo ſermones, magnum excitat adcenſis carbonibus incendium: ſi mites ac moderatos ſermones admoveat, priusqvam excandeſcat, iram omnem exſtingvere* [b] *potuerit.* Qvod enim de *Olympiæ* porticu vocem adceptam, ſepties reddente (unde heptaphonon oppidani vocabant) dicitur: id huc commode refertur: *cum hi qvibus unum retorqvetur convicium, ſexcenta referant ſæpiſſime in retorqventem* [c]. Multi enim dedita opera meliores conviciis proſcindunt: & eos ad contentionem exſtimulant: ut *hi referentes ejjusmodi obprobria illorum ſimiles habeantur.* Nam ſicut qvi fuliginoſum complexus eſt, non poteſt non inmundus abire â complexu: *ita eum, qvi cum injuriam inferente retorqvendo congreditur, cumq; eo pariter volutatur, injuriam, necem, & flagitii partem accipere, deq; ejjusdem fuligine abire inqvinatum oportet* [d]. Qvemadmodum autem canes, qvi prætereuntes adlatrant, magis provocantur, ſi lapide, vel baculo petuntur: *ſic homo maledicus, ſi ſenſerit ultionem, facti, maledicendo magis exaſperatur* [e]. Qvod ſentiens *Philippus Maced. rex*, cum admoneretur: ut pro injectis conviciis ſubditum qvempiam relegaret: *abjit*, inqvit: *ne in exteris ille regionibus circumiens, apud plures convicia in nos conjiciat* [f]. Et cum inſtarent aliqvi ſut *Peloponeſios*, de qvibus erat bene meritus, maledicentes puniret, dixit: *ſi tam pravi ſunt ingenio: ut bene de ſe merito irrideant: qvid fieret, ſi qvid à me mali ſentirent?* Nimirum cenſuit Rex ſapiens: maledicos ultione provocari non debere [g]. Eodem modo *Pyrrhus*, ut maledicum ex Ambracia pelleret, rogatus, abnuit: *qvod potius eſſet: ut apud paucos manens, qvam apud multos, obloqveretur* [h]. Ex qvo *Chryſippus* referenti cui.

ti cui.

ti.cuipiam: qvod amicus qvidam ſe clanculum conviciis morderet: prohibuit, ne hominem argueret: cum metuendum esſet: ne palam idem poſthoc tentare in animum ſibi induceret. Unde enim, inqvit doctiſſ. Theologus *certamina inter homines: unde pugnæ contentionesq; naſcuntur*: niſi qvod improbitati obpoſita impatientia magnas ſæpe concitat tempeſtates? *Qvod ſi patientiam improbitati obpoſueris: exſtingvetur protinus, tanqvam ſi igni aqvam ſuperfuderis. Sin avtem provocatrix improbitas impatientiam ſibi comparem nacta eſt: tanqvam perfuſa oleo tantum excitabit incendium: ut id non flumen aliqvod*: ſed effuſio cruoris exſtingvat k. Qvid enim eſt aliud convicio convicium retorqvere: qvam *ignem igni addere*; l vel *oleum camino infundere* m; oleo incendium reſtingvere n: malum malo medicari o: vel morbum addere morbo p: *& lutum luto purgare* q: Ἔρις γὰρ ἔριν ἀντιφυτεύει r Reſecanda igitur injuria eſt: non retalianda: alioqvi qvis erit reciprocandi mali finis: ſi vicisſim contumelia contumeliæ reddatur? s Retorqvens enim nihil aliud proficit: qvam qvod fumum vitaturus in flammam incidit? t

a) Erasm. *in epiſt.* b) Chryſoſtomus *hom.* 3. c) Plin. *l.* 36. *c.* 15. d) Tyrii Platonici *ſerm.* 2. e) Lucil. Veron. *de reb. memorab.* f) Plutarch. & Antonin. *part.* 2. *meliſſ. ſerm.* 69. g) Plutarch. *in apoph. Qvod etiam de* Pavſania *contra Athenienſes puniendos refert* Plutarch. *in Lacon.* h) Plutarch. i) Maxim. *ſerm.* 10 & *Antonin. ſerm* 53. k) Lactantius *lib.* 6 *c.* 8. *div: Inſt.* l) *qvod* Plutarh. *l.* 2. *de LL.* m) Horat. *in ſat.* n) Lucian. *in Timon* o) Sophocles. p) Homerus. q) Apollonius *vitandum præceperunt.* r) *ut inqvit* Phocylides, *Sic ultio ultionem: cædes cædem provocat, ut* Evripid. *Unde ſenarius*: δίκη δίκην ἔτικτε: καὶ βλάβην βλάβη: *h. e. lis litem; noxa noxiam ſerit.* s) *ut ſcite* Erasmus *in adag, tit. mal. conduplic.* t) *qvod ex* Platone *refert* Ammianus *lib.* 14.

XXIX.

Exemplo erunt: Qvi injurias animo forti *patienter tolerarunt, & contemſerunt.* Inter qvos *Spartani*; qvi *Chiis* ſe permittere, ut agerent intemperantius, publice edixerant: cenſentes *excellentium eſſe virorum*

negligere

Digitized by Google

negligere contumeliam: qvæ a palam improbis eſſet profecta: â qvibus etjam laudari turpe. a *Dion Philoſophus*: qvi convitiis adfectus & tacite domum properans, qværenti, nihilne reſpondere vellet, dixit: *ne gry qvidem* b: *Titus Tacitus* maledicenti ſibi Metello: *facile eſt*, inqvit, *in me dicere: cum non ſim reſponſurus.* Et *Xenophon* maledico cuidam: *Tu didiciſti maledicere: Ego conſcientia teſte didici maledicta contemnere*: & ſicut tu lingvæ tuæ: ſic ego avrium mearum ſum Dominus. c *Ariſtippus* huic ſimilis: qvi cum conviciis inceſſeretur, abiit tacitus. Maledico qværenti, cur fugis? *qvoniam qvia tibi*, inqvit, *poteſtas eſt maleloqvendi; non æqve feres: ſi mihi ſumam tibi non avſcultandi licentiam.* d *Antiſthenes* cuidam referenti ſibi, qvod qvispiam ſibi maledixisſet; reſpondit: *non mihi, ſed illi: qvi in ſe, qvod ille culpat, adgnoſcit. Sed etjamſi mihi maledicere curet; ego non curo: qvia auditus lingvâ debet eſſe robuſtior: cum ſingulis hominibus lingvæ ſint ſingulæ; ſed avres binæ. Aliqvatenus tamen curo: qvia eo ipſo me facio eſſe ſuperiorem*: cum ſuperioris perſonæ uſus ſit, hoc pati: inferioris vero facere. Gauderem itaq; niſi urgente humanitate compaterer infelici. e *Lyſander* ingentis animi argumenta de ſe præbuit: & ne ira qvidem dignum arbitratus eſt maledicum; cum ad conviciis ſe inſectantem converſus ait; *dic modo; nihil omittas: ſi qva tuum animum malis, qvibus videris plenus, qveas exonerare.* f Nam qvi convicia, dicteriaq; metuit: *hunc* ait Fab: Max: *ſibi videri timidiorem his: qvi fugiunt hoſtes.* Nimirum ſenſit hoc turpius eſſe timiditatis vitium: qvo levius periculum. *Nihil autem levius dictis: qvæ qvi formidat; qvomodo ſuſtinebit hoſtis impetum.* g Et *Bion* illum profeciſſe aliqvit in Philoſophia dicebat: *qvi jurgantes & conviciantes, perinde avdiret; ac ſi benedicerent.* i Recte igitur *Demonax.* qverelas, qvod toties calumniis premeretur, moventi, exprobravit: *cur non contemnis calumniantes.* k Ut non immerito *Lacones* ſapientisſimi Deos precati, hoc votis addere ſoliti fuerint: *ut posſent injuriam pati.* Qvia neminem putabant ad res gerendas aptum: qvi qvavis injuria commoveretur. l Et *Gelonis* inſigne dictum: qvi â Legato Spartano injuriis irritatus reſpondit: *Probra objecta homini ſolent iram accendere: tu etſi me ſermone tuo contumelia adfeciſti: non tamen ut compenſando convicia faciam indecora, mihi perſvadebis.* m

a) Cum

a) *Cum turpiter ſe deduſent Lacædemone: & pœna gravisſima fuerant adficiendi; de qva re Plutarch. in Lacon.* b) *Plutarch. & Stobæ ſerm* 19. c) *Valer. Maxim. l. 1. & Seneca.* d) *Ex Laertio lib. 8 c. 8. refert Max: & Anton. in ſerm. de vituperatione.* e) *Val. Max. lib. 1.* f) *Plutarb. in Lacon. apopb.* g) *Plut. in Rom. Apoph.* h) *Laert. lib. 7. c. 4.* i) *Laert. lib. 4.* k) *Maxim. ſerm.* 10. l) *Plut. in Lacon. apoph.* m) *Herod. in polymnia.*

XXX.

Et hoc inprimis obſervatum eſt ab illis: qvippe qvi omnium optime id obſervare potuerunt: *qvi ſibi nullius mali conſcii fuerunt.* Nam ut mali

conſcius ipſe ſibi de ſe putat omnia dici; a

adeo ut ad qvamvis etjam levisſimam, vel exaſperetur: vel excandeſcat injuriam b: utq;

— *nos in vitium credula turba ſumus;* c

ſic contra

Conſcia mens recti famæ mendacia ridet. d Et

Conſcia mens ut cuiq; ſua eſt; ita concipit intra

Pectora, pro facto, ſpemq; metumq; ſuo. e

Socrates igitur lavdandus: qvi cur conviciatori non reſponderet; qvæſitus, reſpondit: *qvia mihi non maledicit: qvandoqvidem ea, qvæ dicit, mihi non adſunt: nec in me hærent* f. *Mea enim* inqvit *Cicero mihi conſcientia pluris eſt: qvam omnium hominum ſermo* g *Et non eſt plus ponderis in alieno convicio: qvam in propria conſcientiæ teſtimonio.* h

Nam cum

Arbitrii noſtri non ſit, qvid qvisq; loqvatur:

Dum tibi tu conſtes: dum ſis ſine crimine vitæ:

Cur metuas de te qvaliacumq; loqui? i

Virum enim bonum bene ſibi conſcium oportet ἀκούειν καὶ δικαίως, καὶ ἀδίκως: κλύειν τε σμικρά: καὶ δίκαια, καὶ τἀναντία k Etſi enim vulgi fex hîc contraria graſſetur via; & tanto magis ira commoveatur: qvanto majjor ſua in exprobrato crimine innocentia: *alius* tamen *bonorum virorum judicium: qvi cum male avdiunt, ſibi gratulantur; qvod puri ſint*

F *ab his,*

ab his, qvæ ſibi inpinguntur: nec id magis in ſe dici interpretantur: qvam ſi qvis ex oculorum errore adpellet Epicurum; cum eſſet Socrates. Adeo ut ſi qvis hoc ſenſu in *Socratem* convitia congerat: is non *Socrati*: ſed *Epicuro*, qvem petere volebat, *l* maledicat. Recte igitur *Socrates* idem convicia Comicorum excuſabat: *qvia ſi qvid in nos dixerint*, ajebat, qvod *merito ſit reprehenſum, admoniti corrigemus: ſin falſum*, in nos convicium jaculabuntur, *nihil ad nos. m* Qvem in modum *Archelaus* aqvis conſperſus dixit: *non me conſperſit: ſed illum, qvem eſſe me putavit. n* Qvod eodem ferme modo de *Catone* legitur: qvi in balneo percuſſus & objurgatus ab Amico: cur pateretur: reſpondit: *non memini me percuſſum eſſe*. Sentiens injuriam æqvo animo ferendam eſſe: cujjus dolorem non diu ſentias. Remedii enim pars eſt, non ſentire malum. Unde fortisſimi Imp. *Titi Veſpaſiani* memorabile celebratur apophthegma: *nemo me*, inqvit, *injuria adficere avt inſeqvi contumelia poteſt: qvia nihil ago, qvod reprehendi mereatur.* Ea vero, qvæ falſa de me dicuntur, prorſus negligo *o*. Et miranda *Socratis* patientia: qvi cum Xantippen uxorem ſuam diutius ſecum rixantem in ædib. pertuliſſet, & tandem feſſus ante fores ſuas conſidens, de feneſtra lotio perfuſus ab illa fuerat: Ridentib. qvi præteribant, & ipſe adriſit, dicens: *facile divinabam: poſt tantum tonitrus pluviam ſecuturam. p.*

a) Vulgaris Caton. verriculus. b) *ut Comicus Græcus arguit:*

ὁ συνιςορῶν αὑτῷ, κἂν ᾖ θρασύτατος.
ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ:

h. e: conſcientia mala timidisſimum facit: qvi alias erat avdacisſimus. c) *Ovid. 4. Faſt:* d) *Idem ib.* e) *Id. 1. Faſt.* f) *vel: mihi ſuis dictis non obeſt: qvandoqvidem talis non ſum: qvalem me dicit eſſe: referente Eraſmo lib. 3. apoph.* g) *In ep. ad Attic.* h) *Div. Auguſtin.* i) *Eob. Heſſ: 3. Silvar.* k) *Eraſm. in adag: & Junius in eisdem ſub tit: conatus.* l) *Eraſm. lib. 3. apoph.* m) *Eraſm. lib. 3. apoph.* n) *Plut. in apoph. Eras. in epiſt.* o) *Xiphil. in vita ipſius.* p) *Laert. l. 6.*

XXXI.

Adeo ut, ſi non tam qvid dictum; qvam qvid factum, velimus: anim-

animadvertere: dicendum ſit: *innocenti viro inlatam injuriam, revera ne qvidem injuriam* qvoad honorem ſuum, *eſſe* : *nec famam ipſius lædere poſſe.* Utut enim verum nimis ſit illud Paraſiti, de *audacter calumniando, ut hæreat aliqvid* [a]: Veriſſimum tamen hoc *Cleobuli* effatum : *qvod conviciatorum reprehenſiones illos non adtingant : qvi ſecundum virtutem vivunt.* [b] Et hoc ſapientiſſimi *Platonis* : *convicio adſectus vide : num qvid a te convicio dignum ſit patratum. Si nihil animadvertes, fumum eſſe illud convicium exiſtimato* [c]. Nam ut jaculum, in ſolidum aliqvid ſi inciderit, non nunqvam retorqvetur in mittentem: ita *convicium in fortem & conſtantem virum* [d] *tortum, recidit in torqventem.* Sicut enim adyanton herba, licet perfundas aqva, avt immergas: tamen ſiccæ ſimilis eſt: *ſic in virum bonum, etjamſi qvis illum infamare conetur, non cadit infamia* [e]. Qvippe qvi volens detrahit famæ viri pii: nolens addit aliqvid mercedi illius. *Malam* enim *conſcientiam* qvam mordet veritas criminis, *ut non ſanat lavdantis præconium*: etjamſi totus illam continuas lavdibus adtollat mundus: *ſic bonum virum non convulnerat convicianti obprobrium* [f]. Scilicet injuria *injuſte inrogata eſt ejjus, qvi fecit infamia* : [g] Nec inſcite *Diogenes* improbo ſibi conviciũ injicienti reſpondit: *ut nec mihi credit qvispiam te lavdanti: ſic nec tibi, me vituperanti* [h]. Unde *Antiſthenes* eos, qvi nos maledictis inceſſerent magis tolerandos dicebat: qvam qvi nos lapidib. impeterent : cum *verba non lædant eum: qvi contemnere convicia didicit.* [i] Qva de re ſcribſit integrum commentarium ſapientiſſimus omnium poſt *Platonem* inter Ethnicos *Seneca* : *Qvod in ſapientem non cadit injuria.*

a) *De qvo ſupra in hac p. 2. th. 20. ſub lit. a dictum.* b) *Max. Serm. de vitup.* c) *Anton. Serm. de obloq.* d) *Plut. in moral.* e) *Plin. l. 22. c. 21.* f) *Auguſt. lib. 3. cont. Petil.* g) *Sen.* h) *Anton. ſ. de contum.* i) *Laert. l. 6. c. 1.*

XXXII.

Exemplo ſint iterum: qvi cum potuisſent, injurias & convicia ingerentes ulciſci : ab hac ultione non modo abſtinuerunt : ſed ſæpe eos beneficiis exornarunt. Inter qvos *Lycurgus*, qvi juvenem Alexandrum, â qvo privatus erat oculo : cum ſibi, pro arbitrio pu-

Digitized by Google

niendus, esſet â populo traditus, optime inſtitutum in theatrum produxit: & Spartanis mirantibus dixit: *ſ..m antehac injurium & violentum adcepi, jam frugi reſtituo* [a] Et *Pericles* qvi per integrum diem patienter in publico conviciatorem temerarium & inſolentem tule at: nec cum veſperi domum ſe reciperet, â ſe repulit adhuc maledictis inſultantem: ſed ubi in primo domus limine conſtitit, ad ſervum converſus: *ito* inqvit, *& hunc civem domum deducito* [b] Sic *Ageſilaus* honoribus adficiebat Duces belli, & Magiſtratus faciebat, qvibus clanculum exoſus erat: & ex hoſtibus ſibi amicos conciliabat. [c] Ut enim canes latrantes offula objecta conciliantur: ſic malevolos [d] esſe beneficiis placandos conſebat *Alphonſus* Rex. Sic Imp. magnus ille *Macedonum Philippus* Arcadionem qvendam Achæum qvem alii Nicandrũ vocant, vel Nicanonem,) â qvo maledictis acerbisſimis lacesſitus ante fuerat, forte in Macedonia degentem, cum â Smicytho Conſiliario ſuo, ut illum interficeret, admonitus esſet: Reſpondit: *illum non esſe Macedonum pesſimum: & ſibi videndum, necubi cesſet in officio.* Cumq; rex reſciret: illum adfligi inopia, & a ſe neglectum huc usq;: muneribus misſis eum honeſtavit: qvibus hic adceptis, cum poſt de Philippo honorifice ubiq; loqve etur: Philippus hoc ex Smicytho avdiens, ad ſuos converſus, dixit: ἔγω τοίνυν βελτίων ἰατρὸς ὑμῶν: h. e. *videtis ergo me medicum esſe in placandis calumniatoribus vobis meliorem: & meum esſe, tam bene ac male avdire; qvam maledicentiæ morbos ſanare* [e] Cujus & hoc apophthegma vere regium celebratur: βασιλικόν ἐστι τὸν καλῶς εἰκ... ὁποτ-ȣ̃σα. h. e. *Regium eſt cum facias bene, avdire male:* [f] Et *Tiberius Cæſar* ad vindictam contra maledicos ſtimulatus, ait: *non tantum habemus otii ut nos his implicare negotiis posſimus. Si hanc feneſtram aperueritis: nihil aliud agi ſinetis.* Cujus etjam hoc æqvitatis plenum de conviciatorib. fertur epiphonema: *In civitate libera lingvam mentemq; liberam esſe debere* [g]. Sic *Ariſtides* bene precatus civibus eſt in exſilium injuſte ſe pellentibus. Sic *Phocion* proditionis Piræi falſo accuſatus, & ad ſupplicium ductus Phocum filium hortatus, eſt: *ne mortem patris ultum iret* [h] Et *Epaminondas* civium ſuorum injurias ferebat: nefas esſe putans, iraſci

patriæ

patriæ [i]. Qvem in finem *Thraſybulus* ejectis XXX. Athenienſium tyrannis & *Ciceronis* ex conſilio Romani poſt interfectum J. Cæſarem legem ἀμνηστίας [k] invexerunt. Sic *Demoſthenes* convicia, qvib. erat impetitus, retorqvere recuſans : ait ; *nolim in hoc certamen tecum deſcendere : in qvo qvi ſuperior evaſerit, inferior eſt : & qvi vincitur ipſo victore melior erit* [l]. Et celebratur *M. Catonis* reſponſium maledico datum : *Impar mihi tecum certandi conditio eſt ; nam ut male avdire : & maledicere tibi facillimum ſimul, & promtiſſimum eſt : ſic mihi maledicere inſvave & inſvetum :* [m] Conviciis enim rem pro declaranda animi magnitudine agentes *Scopelianus* qvidam aniculas adpellavit, non tantum ebrias : ſed etiam rabidas ; [n] Qvod etjam *Cominus* [o] innuit, qvando vindictam hujjusmodi disſvadet : *ſed tu qvod cavere poſſis, ſtultum admittere eſt. Malo ego nos proſpicere : qvam hanc ulciſci, accepta injuria.* Qvod avtem convicia, qvæ proficiſcuntur ab iis, qvi vitio naturæ maledici ſunt : & non a judicio : ſed ab animi morbo convicia jactant, contemnere debeamus : docet Leotychidas Ariſtonis filius : qvi cuidam dicenti : qvod Demarati amici de ſe male loqverentur, reſpondit : *non mirum : qvia nullus illorum de qvoqvam bene dicere poteſt* [p] Et qvod potentes non debeant commoveri humiliorum conviciis oſtendit Cleomenes nonnullis Argivorum ſibi maledicentibus ita reſpondens : *vobis poteſtas mihi maledicendi : & mihi poteſtas vobis viciſſim malefaciendi :* [q]. Velut Antaxerxes Aclidi per tribunium dici juſſit : *ei licere in regem, qvæ vellet, dicere ; ſibi in illum licere, qvæ vellet. & dicere, & facere.* [r] Cumq; fortis qvidam miles per calumniam Pelopidæ ſuo Imp. de conviciis ſibi factis eſſet delatus, reſpondit : *eqvidem facta ejjus reſpicio : de verbis avavi nihil.* [s]

a) Plutarch. *in Lacon.* Stobæus *ſerm. 17.* b) Sabell. *lib. 9.* c) Plut. *in apoph. Lacon.* d) Pontanus *c. 30 de liberal.* e) Plutarh. *in libro* περὶ ἀοργησίας f) *Idem ibid : qvod* Laertius *lib. 7 c. 1. de* Antiſthene *a* Platone *conviciis adfecto refert. Excelſi enim animi eſt : ingratitudine hominum non deterreri a ſtudio bene merendi.* g) Svetonius : Eraſm. *l. 5. apoph.* h) Æmilius probus *in Phocion.* Plutarh. *in apoph. & in vita Ariſtidis.* Ælianus *lib. 12 var hiſt.* i) Eraſm. *lib. 5. apoph.* Æmylius prob. *in* Epaminonda. k) *h. e. oblivionis præteritarum*

teritarum injuriarum qvod nemo recordari deberet, teſte Æmil. Probo *in* Thraſybu-lo: Plutarcho *in Dione*: Val. Maximo *lib. 4. c. 1.* l) *Stob. ſerm: 19. Eraſm. apoph. l. 4.* m) *Eraſm. lib. 5. apoph.* Tacit. *&* Sveton. n) *referente Philoſtrato.* o) *Terent. in Eunuch: verba Chremetis ad Thaidem act. 4. ſc. 6. qvaſi diceret: qvod ſera eſſet nimis vindicta, qvando injuria jam perfecta.* p) *Plutarch. in Lacon: qvod Laertius l. 2. Socrati tribuit. Unde Senec. ep. 77. male de me loqvuntur homines: qvia bene neſciunt: faciunt non qvod mereor: ſed qvod ſolent.* q) *idem ibid.* r) *Eraſm. l. 5. apoph.* s) *Stob. ſer. 40. Max. ſer. 10. Anton. in Melu. p. 1. ſer. 53.*

XXXIII.

Ultionis tamen hunc modum ſibi honorificum duxit *Philippus Macedo*: cum jactaret: ſe magnam debere gratiam Oratoribus Athenienſium: ὅτι λοιδοροῦντες αὐτὸν βελτίονα ποιοῦσι, καὶ τῷ λόγῳ: καὶ τῷ ἤθει: h. e. *qvod ipſorum conviciis melior eſſet redditus: qvando id conaretur bene agendo: ut illos dictis ac factis mendacii convinceret.* a Idem monitus, ut conviciatores ulciſceretur: *abſit*, inqvit *gratiam illis habeo potius: â qvibus melior reddor. Nam ſi qvid improbi fecerim, muto conſilium: & pœnitentia factum emendo.* b Scilicet *Diogenem* ſecutus: qvi rogatus â qvopiam: qvomodo ulciſci poſſet inimicos, reſpondet: αὐτὸς καλὸς κἀγαθὸς γενόμενος: *ſi meipſum probum & honeſtum virum præſtiterim*: Hoc enim qvi facit, & ſibi prodeſt maxime: & inimicum maxime discruciat. Nam ſi fundum tuum conſpiciens bene cultū, discruciatur inimicus: qvid fiet: ſi teipſum viderit veris ornatum bonis. *Funeſtam enim Si convicio tibi facto ſileas: dediſti maledico plagam.* d Sic *Chryſippus* conviciis jactatus reſpondit: *Ego ſic vitam degam: ut tuis conviciis nemo ſit crediturus.* e Optima etjam retorqvendi injurias, & refutandi calumnias hæc eſt ratio. Si διὰ τῶν ἔργων ἀπόδειξις συκοφαντίας ἐλέγχει h. e. *ſi non verbis: ſed factis* h. e. *integræ vitæ moribus convicia retorqvemus.* f Non reſpondebo de privatis conviciis, inqvit *orator g: ſed oppono vitam teſtem. Si talem me ſcitis, qvalem iſte deſcribit: ſtatim tanqvam me condemnato, ſurgite.* Idem *Ciceronis* eſt judicium: *Male mecum*, inqvit, *agitur, ſi me oratio potius: qvam vita mea dſenderet.*

a) *Plutarch. in apophț. Vere Philoſophicum Principis animum! qvi non, qvod vulgus ſolet, hoc tantum ſpectavit: ut malo maledicos adficeret: ſed ut ipſe minus ma-*

lus

lius redderetur. b) *Anton. in Meliſ. p. 3. ſec. 69.* c) Plut: *& Laert. l. 6.* d) *Chryſ. ſuper Matth.* e) *Maxim: ſerm: de Vituperio. qvod Platoni tribuit Anton. part. 2. ſerm. 69.* f) *Div. Baſilius.* g) *Demoſth. in oratione:* περὶ στεφάνου. *Unde Germanitum hoc:* hüete dich für der That: der Lügen wird wol Rath.

XXXIV.

Ex his igitur præmiſſis iterum evincitur: *Qvod hoc Retortionis dogma, qvia ſanæ Philoſophiæ præceptis & exemplis eſt adverſum, non ex bonorum tantum virorum conſortio: ſed etjam ex Scholis & Foro Juridico* a *ſit exterminandum.* Idq; hic *ſecundo loco* debuit eſſe demonſtratum.

a) *juxta theſes 8. & 9. ſupra in hac parte 2. poſitas.*

XXXV.

Seqvitur *tertium* a. ex fontis prioris b rivo deductum: cujjus hoc eſt caput: *Si qvod reperitur in Jurisprudentia præceptum à Salute* c *populi exorbitans: id ex bene conſtituta eſt Civitate propulſandum.*

a) *Vide ſupra theſin 1. & ſub lit. b. hac in part. 2.* b) *Videlicet ſanæ & ſinceræ Rationis, vel Philoſophiæ EthicoPoliticæ.* c) *In hujjus principii fundamento recte conſtituendo non eſt qvod laboremus: cum decantatiſſimus omnium Legum ſcopus ſit:* Salus populi ſuprema Lex eſto: *teſte Cic. 3. de legit.* Qvippe ipſa utilitas juſti prope Mater & æqvi: *ut Horatius canit lib. 1. ſat. 3.* *Unde* Lex, *vel* Jus civile *id dicitur: qvod* omnibus; vel pluribus, *in qvacunq; civitate eſt* Utile *l. omnes 9. & l: jus plurib. 11: Juſt. & Jur.* *Hinc D. Juſtinianus in hanc ſpem vocatur, & qvidem non immerito:* qvod eo magis propitium, ac benignum ſit habiturus *Deum*: qvo magis curet, ne qvid detrimenti ſubditi capiant: *Nov. 149. c. 3. qvæ ſollemnis formula in auſpiciis Magiſtratuum apud Romanos erat: ut conſulerent,* ne qvid detrimenti Reſp: pateretur. *Hinc idem Juſtinianus gloriatur:* qvod pluris ſibi ſit ſubditorum opulentia *&* medela: qvam reditus imperio inferendi: & qvod una hæc res potentiæ ſuæ ſtudio ſit: *ut à nonnullis aliqvot retro temporibus excogitatis præſtationibus liberata provincia, & bonis LL. gubernata, & tuto inhabitata hunc fructum ex Præſidum juſtitia capiat:* ut tributa publica ſine qverela inferantur: *Nov. 161. c. 2. Qvod jus valde vereor, ne noſtra hac ætate receſſerit ut vulgo noſtri Dd. loqvi ſolent, tam ab* Aulis: qvam a Curiis. *Sed ſummo cum Reipublicæ, h. e. Populi detrimento. Proh dolor!*

Cui

XXXVI.

Cui ſuperſtruitur hæc ratiocinatio: *Qvodcunq; præceptum in Juris Civilis diſciplina repertum, præbet anſam corrumpendis civium moribus, & litium, injuriarum, rixarum, contumeliarum, & conviciorum, contentionibus & turbis exaſperandis inſervit: Id ex Jurisprudentiæ* Scholis & Curiis *relegandum*. Sed hanc anſam præbet hæc vulgo recepta hodie *Retortionis* doctrina: Ergo releganda.

XXXVII.

Propoſitionem nemo Civis bonus inficias ibit: Cum corrupti civium mores, litium, injuriarum, contumeliarum, conviciorum, rixarum & turbarum fomenta non ad *ſalutem*: ſed ad *perniciem* populi, & civitatis unice conſpirent. Ut enim *Concordia*, in morum bonorum ſtudio, *res vel parvæ creſcunt*: ita *diſcordia* in variis morum corruptelis etjam *maximæ dilabuntur*: In ſola igitur *Adſumtione* probanda hujjus argumenti opera cum ſit obcupata:

XXXIIX.

Provocamus *ad illa*: qvæ ſuperius ſunt in hunc finem teſtimoniis optimorum avctorum firmata [a]: Ad *cottidianam experientiam* [b]. Et ad ipſorummet Retortionis Magiſtrorum *confesſiones*. [c]

a) *Th. 28. hac part. 2. Qvibus evincitur, qvod Retortionibus nihil aliud agatur: qvam qvod injuriæ injuriis cumulentur: & ex unis aliæ plures protuberent. Qvamvis enim aliqvid* forte de ſe non ſit malum: ſi tamen res ſit mali exempli, ferri non debet: *ut Leo in Nov. 83 argumento l. 78 §. Si abortionis 5. Pœn. l. obſervandum 47. judic*: b) *Cujjus etjam ſupra injecta mentio th. 19. l. b. & d. th. 28. hac p. 2: qvam in Civium conſortiis verſatus abnegare, ſi verum fateri velit, non poteſt. Posſent exempla proferri tam publica: qvam privata: qvod hujjusmodi Retortiones ſæpe eruperint in bella, cædes, homicidia. & triſtisſimas utriq; ſæpe parti calamitates. Qvotaqvæq; enim dabitur maxime inter præſentes Retortio, qvæ non alia retortione retundi ſoleat? ex qva non ad rixas. & verbera, ad provocationes, ad duella, & hinc recta plerumq; via ad homicidia procedatur. In promtu eſt ratio. Volunt*

enim

Digitized by Google

enim Dd. hujjus dogmatis; Retortioni tantum eſſe locum eo caſu concedendum: qvo falſum eſt, qvod innocenti exprobratur convicium. At cum nemo vir bonus, & Chriſtianus id agat: ut ſit φιλολοίδορος, *h. e. conviciorum ſpargendorum ſtudioſus: conſeqvens eſt: qvod calumniatores ſint, & homines improbi: qvi talibus conviciis viros bonos proſcindere non verentur. Aſt qvotusqvisq; ex his dabitur: qvi vel leniter retorqventi non ſit acriter, avdacter, animoſe, & calumnioſe reſponſurus, contra retorqvendo, qvod erat retortum: utpote per calorem iracundiæ ferocior factus? Nam qvi verecundiæ limites ſemel transgresſus eſt, convicia, vel calumnias exprobrando inpudenter: qvis dubitat: qvin ille gnaviter in contra retorqvendo ſit poſt inpudentisſimus futurus: & etjam victoriam in retorqvendi hac palæſtra fortiter obtenturus? ut rubore confuſus Retortor ejjusmodi, ſi vir bonus, cui convicium factum eſt, cogatur convicianti palmam cedere: & experiri veritatem vulgaris epinicii: ſordidi qvidem illius: ſed ſententiam gravisſimam continentis: ut multa Germanorum Cynica reperiuntur:*

Hoc ſcio pro certo; qvod ſi cum ſtercore certo:
Vinco: vel vincor: ſemper ego maculor.

Et licet odioſa ſint exempla: ex publicis tamen referam: qvod Patrum noſtrorum memoria ſeculo ſuperiore clarum fuit inter Dn. Johan. Fridericum Electorem Saxoniæ: Philippum *item* Hasſiæ Landgravium *ab una*: & Henricum Juniorem Ducem Brunsvicum *ab altera parte: de qvo* Sleidanus *lib. 12 ſic ſcribit:* Per hanc obcaſionem cœptum eſt agi ſcribtis adverſariis (*libellis retortivis*) quæ non multo poſt in omnium acerbisſimas invectivas deſierunt. Cujjus qvidem rei factum fuit initium à Brunsvicenſi: qvi novo qvodam inter viros Principes exemplo, nullum prætermiſit criminationis avt contumeliæ genus, ut libri typis excuſi demonſtrant. *Hactenus ille. Cujjus in retortivi belli exercitio ſemina fuiſſe ſparſa, ex qvibus excrevit bellum* Germanicum, à Carolo V. *geſtum, qvo pœne tota exarſit* Germania, *hiſtoriæ illius temporis teſtatum faciunt. Ex tragicis privatarum Retortionum eventis unicum exemplum proferam; qvod in hac vicinia contigit ante pavcos annos, inter Nobiles vicinos*: Titium, & Sempronium. *Qvorum ille cum per Miniſtrum ſuum expoſtularat cum hoc; qvod venatum excucurrisſet in ſuum fundum; hic effrenis lingvæ & animi ferocis homo, effutivit hæc verba:* ſe venatum ibi fuisſe anteqvam ſuus (*Titii*) pater ſibimetipſi necem adtulisſet. *Qvod cum ex Miniſtro perceperat Titius; de conſilio Advocati ſui non multo poſt miſerat Sempronio Retortionis Libellum, in qvo inter alia his verbis erat uſus:* Er *Sempronius* hette daran/ was er von ſeinem *Titii* Vater geredet/gelogen: wie ein verlogener ehrloſer Man. *Sempronius hanc contume-*

 liam

liam concoqvere non valens, & ad vindictam realem adjiciens animum, anno vix dum elapſo, domo cum Scipione rus iturus, ex inopinato Titii Retorqventis fratrem hominem paraliticum præ alterius nobilis foribus in ſuo pago, cui dominabatur, ſedentem obſendit: & furore accenſo mox gladio, qvem in Scipione reconditum gerebat, miſerum adgresſus eſt, & transfosſum occidit. Qva patrata cæde fugam adripuit: & poſt aliqvod annorum exſilium, cum reconciliari non posſet Principi ſuo, bonis omnibus conſumtis miſere ex vita migravit. Et ſic utriq; Retortionis fructus calamitoſus accidit.

c) *Qvando enim tractant qvæſtionem.* Ecqvid Retortio ſua ſtatuto tolli poſſit: *concludunt hoc quidem aliqui: ſed ægre admodum: & eo duntaxat caſu: ſi in civitate aliqva vel Provincia* exiſtet tanta Retortionum importunitas, copia tanta, tanta incommoditas: ut obcaſione earundem lites ultra modum multiplicentur: infiniti tumultus, rixæ & cædes crebræ inde pronaſcantur: qvod tunc juſtisſima ſit Retortiones prorſus tollendi cavſſa: cum obcaſio delinqvendi amputari præcidique debeat, & cum ſalus populi ſuprema lex ſit: *ut inqvit* Harpr. *d.* §. hæc actio. *12. num. 110. Cum igitur hic primarius hujjus dogmatis Profesſor (à qvo non diſcrepat* Dn. Obrechtus *de* neceſ. defenſ. *c. 7. n. fin. de qvo infra part. 3. th. 46.) ipſemet fateri cogatur: qvid Retortio in populo anſas præbeat litibus multiplicandis: infinitis tumultibus: rixis: cædibus: incommodis &c. qvas amputari expediat Reip. cui ſubſragium fert* Dn. Beſoldus *diſp. de* Injur. *1. th. 18. cum cenſet:* Retortionem ſtatuto non modo tolli poſſe: ſed ut fiat, maxime conſultum eſſe, propter multas lites inde ſubpullulantes: *qvid in hanc rem comprobandam opus eſt pluribus* verbis, *ubi* rerum teſtimonia adſunt. Abuſum, *inqviet, aliqvis, hunc eſſe Retortionis;* qvi non tollat res ipſas: *οὐδὲ γὰρ φιλοσοφίαν ἀναιρετέον: ἐπειδὴ τινες τῶν προσποιουμένων πονηροὶ καταφαίνονται: Quia Philoſophia* propter improbos qvosdam inter Philoſophos exterminari non debeat: *inqvit Galen. libr. 1. qvadrup. Sit ſane! Sed qvid: ſi tantus ſit hujjus abuſus: ut de uſu nusqvam conſtare vel ut uſus ſine abûſu vix dari queat? Hic utiq; Reip. magis expediet rem ipſam tolli penitus. utpote pernicioſam frequentius: qvam eandem propter exiguum & rarisſimum, immo nullius precii uſum in publicam perniciem tolerari. Cum vir bonus, defenſionis, honoris, & vindicandæ famæ ſuæ cupidus, habeat ordinaria, & legitima remedia, avctoritate Magiſtratus ſibi data: qvibus ſi velit uti: abunde posſit honori & famæ ſuæ conſulere: ut idem* Harpr. *d. loc. n. 111. teſtatur.*

Supereſt

XXXIX.

Supereſt *ultimum*, [a] ex anteriore depromtum: cujjus hic ſenſus eſto:

Qvod Jurisprudentiæ [b] *Romanæ eſt non modo inviſum & incognitum: ſed etjam per vim Rationis legum ſaltem inplicite prohibitum: id ex præceptorum illius ſyſtemate* [c] *excludendum.*

At hoc Retortionis dogma tale eſt. Ergo excludendum.

a) *Reſpice in hac p.2. ad th.1. lit. b.* b) *à* Juſtiniano *promulgatæ: & à ſubceſſoribus in Imperio Germanico per Imperii Receſſus, & Conſtitutiones adauctæ.* c) *Si forte clanculum inrepſerit, ex Dd. communi errore: qvi jus non facit.*

XL.

Propoſitioni ſua conſtat veritas: qvod erubeſcamus loqvi ſine lege: [a] & ubi lex ceſſat: [b] qvia pa[illegible] ſunt: fieri ſine lege: & contra legem: [c] qvod nulla lege cavetur, id in practica non habetur: [d]

Adſumtioni ex parte *priore* fides tamdiu habenda: donec adferantur expreſſa jura, vel leges, [e] hanc Retortionem vulgo ſic receptam, inculcantes.

a) *Ut Imp.* Juſtinianus *ipſemet fatetur. Nov.18. §.conſideremus. Qvia judicis obficio incumbit*: ut non aliter judicet: qvam legibus: conſtitutionibus, avt moribus eſt proditum: *de offic. jud. l pro* De precio ſoluto, *inquit Cajjus*, nihil exprimitur: *unde poteſt conjectura capi*: qvaſi nec ſententia Prætoris ea ſit: ut reqviratur: *utrum ſolutum ſit precium, nec ne? l. de* precio 10. publ. in rem. act. In mandatis Principum eſt, *inqvit Pavllus*, ut curet, qui Provinciæ præeſt, malis hominibus purgare Provinciam: nec diſtingvitur: *unde ſint Ergo habet etjam imperium adverſus extraneos homines l.3. in ſin.* offic. Præſid. *Hinc recte Dd. hanc regulam exſtuxerunt*: Ubi lex non diſtingvit: neqve nos diſtingvere debemus. b) De viro, *inqvit Ulpianus*, lex tantum loqvitur: de ſocero nihil in lege ſcribtum eſt. In qvibus igitur caſibus lex deficit: non erit nec utilis actio danda: *l. ſi vero 64. §. de viro* ſol. matr. *Unde rectum* Ciceronis *1. de orat. judicium: quod* in jure civili doceamur, non infinitis, concertationumque planis diſputationibus: ſed avctoritate nutuqve

 legum.

legum. c) *per ea qvæ tradit multis juribus ad hoc adlegatis.* Everh. *in loc.leg. à* lege ceſſante, *&* Vigel. *Dial. l. 2. de* ratione legis : & de qvæſtione juris. d) Baldus *in c. nihil circ. fin. extr. de* Elect. *Qvibus ut notiſſimis, hic inhærere diutius non eſt neceſſe. Sicut enim argumentum* ab avctoritate *valet in Theologia : ſic etjam in Jurisprudentia : tam* adfirmative, *qvam* negative : Philip. Melancht. *lib. 4. Dial. tit.* Avctoritas, *reg 2. 3.* Vigel. *Dial. lib. 2. d. t. ubi tradit hanc maximam : qvod deficiente lege, deficiat actio, exceptio, vel jus ſimile.* e) *Qvas certas & indubitatas videre nondum licuit : cum quæ vulgo ad hanc cavſſam probandam adferuntur : nibil vel parum admodum ad rem faciunt : ut ſuo infra patefiet loco, part. 3. theſ. 12. cum ſeqq.*

XLI.

Ex *parte* vero *poſteriore* Retortio videtur ex his rationibus prohibita : Qvia 1. dependet ex *privata vindicta* : qva regulariter cuiqve privato interdicitur.[a] 2. Qvia *non relatione criminum : ſed innocentia nos* purgare debemus.[b] 3. Qvia defenſio illa, qua *vis vi* repellitur : tum demum habet locum : ſi *periculum imminens* effugere : & alio modo, qvam per vim relatam propulſare non poteſt in periculo conſtitutus.[c] Id qvod de Retortione injuriarum dici neqvit.[d] 4. Qvia deniqve defenſioni violentæ tunc tantum locus eſt : qvando *vis inferenda iminet, vel jam inferri cœpit : nondum plene inlata.* At nulla verbis poteſt injuria, niſi jam ſit verbis inlata, recriminando qvaſi repelli : qvod non defenſionem, vulnere jam perfecto : ſed *vindictam* ſapit.[e]

a) Non *enim* eſt ſingulis concedendum : qvod per Magiſtratum publice poteſt fieri : ne obcaſio ſit majjoris tumultus faciendi, *inqvit Pavllus l. non eſt 176.* R. J. *Qvippe hunc in finem judices dati ſunt : ut* eorum arbitrio cum opus eſt utamur, *l. ſi cujjus 13. §. 2. v. deniqve* Uſufr. *tit.* C. qvand. lic. un. ſin. jud. *Et hæc per vim reſiſtentia tum demum : ſi tuendi dumtaxat : non etjam* ulciſcendi *cavſſa fiat, eſt conceſſa l. ſcientia 45. §. 4. ad L. Aquil.* Fœdum *quippe eſt, inquit,* Caſſiod. *ep. 10. l. 4. var.* inter jura publica privatis odiis licentiam dare : nec ad arbitrium proprium judicandus eſt inconſultus fervor animorum. *Hinc eſt :* quod legum reperta eſt ſacra reverentia : ut nihil manu : nihil proprio ageretur inpulſu. Qvid enim à bellica confuſione pax tran-

tranqvilla diſtabit: ſi per vim litigia terminentur? b) *Hoc enim Principum Conſtitutionibus eſſe cavtum, dicit* Ulpianus *l. ſi quis 5.* publ. jud. *Qvod licet ibi in ſingularibus terminis proferatur: qvia tamen ejjus ratio generalis eſt: nihil obſtat: cur non ad conſeqventiam trahatur: cum hoc certo certius ſit: Qvod ſi Reus ſit criminis objecti Retorqvens: relatione ſui criminis ſe non purget. Sin innocens: purgatione ſibi non ſit opus: ſed tantum vindicta jure conceſſa.* c) *hi enim ſoli vim vi repellendo damni culpam dantes innoxii ſunt: qvi* aliter ſe tueri, & periculum effugere *non potuerunt: ut* Pavl. JC. *d. l. 45. &* Juſtin. §. *2. I. leg. Aqv. tradiderunt.* d) *qvia regulariter qvi patitur injuriam, judicium & judicem ſemper in parato habet: cujjus avctoritate vindicare injuriam: & honorem ſuum, qvomodo, & qvandocunqve voluerit, legitime defendere poteſt: ut hujjusmodi violentis, &* non, niſi in extremæ neceſſitatis periculo alias inevitabili conceſſis *certa lege remedii non indigeat.* e) *de qvo ſupra dictum ſatis, p. 2. th. 16. 17. 18. 19. 20.*

XLII.

Supereſt igitur, ut concludatur: *Retortionis* hanc vulgo receptam *doctrinam, & Theologicis, & Philoſophicis tam præceptis, quam exemplis adverſam: Reipublicæ pernicioſam: & Jurisprudentiæ inviſam ex Chriſtianorum verorum, civium bonorum, & Jurisconſultorum foro* procul exterminandam eſſe: qvod hactenus demonſtratum oportuit.

PARS TERTIA.

QVA

RATIONES DE JURE RETORTIONIS DUBITANDI REFUTANTUR.

CUm autem non ſit Jurisprudentiæ Studioſis ſatisfactum: niſi illa, qvæ ſupra, parte hujjus commentarii prima, pro ſtabilienda *Retortionis* doctrina, ſunt producta, refutari posſint: Laboris hæc ſuſcepti *pars eſt reliqua:* In qva procedere libet eo ordine: qvo ſunt illa ſuperius prolata.

I.

De *Definitionis* perfecta, vel inperfecta ratione non eſt qvod anxius ſit qvispiam: cum qvod nullum eſt, definire non ſit neceſſe. Qvia autem hic mihi à qvopiam ex Theologis obcurritur: qvi defenſionem *Retortionis* ex Theologiæ principiis in ſe recipere ſatis confidenter [a] conatur: brevibus id, qvod adtulit, in medium, anteqvam cum JCtis agam, perſtringere placet. Opinatur enim ille vulgo receptam JCtorum de *Retortione* [b] *verbali* doctrinam ſacræ Scripturæ conſonam eſſe: Qvia

1. eadem uſus ſanctus Propheta *Jeremias:* [c] &
2. ſanctiſſimus *Redemtor* noſter. [d]
3. Qvia probet eam *Dn. Balthaſar Meiſnerus.* [e]
4. Qvia ſit uſus ab abuſu diſcernendus:
5. Qvia item *vindicta* ſit prohibita à Deo: non defenſio: qvalis ſit *Retortio:* qvodqve *vindicta* (ſic & *Retortio*) ſit *publica*, vel *privata:* qvarum hæc: non illa repudianda &c. In qvibus qvid inſit roboris videndum.

a) *In ſexagena theſium* valvis templi veritatis *An. Chriſti* cIↄ Iↄc XXVII. *adfixa: in qvarum penultima: ſe pro lege* Retortionis *ſtaturum, & pugnaturum ſibi præſumit: donec contrarium probetur:* qvod ad Calendas Græcas ſit futurum. b) *nunqvam ſatis lavdata, & lavdanda: ut ille ſibi placet in ea: de qva hic ſola, eo qvod adfert de* reali, *qvæ mei non eſt inſtituti nunc præterita, agendum.* c) *c. 37. v. 14. qvia proditionis adcuſatus, retorqvendo dixerit:* tu mentiris: non fugio ad Chaldæos. d) *Qvi Johan. 8. v. 48. & 49. Judæis adcuſantibus:* qvod Dæmonium haberet: *retorſit injuriam:* ego Dæmonium non habeo: vos ex patre Diabolo eſtis. *Et Luc. 11. Judæis, qvod* ope Beelzebub dæmonia ejiceret, *convitiantibus, retorſit, v. 19.* Si ego Beelzebub præſidio ejicio dæmonia: filii veſtri cujus præſidio ejiciunt? *Ideo ipſi judices veſtri erunt.* e) *in diſſertatione de Legibus fol. 221.*

II.

Ad locum ex Propheta *Jeremia* th. 7. prolatum qvod adtinet: deſidero fidem in adlegando: cum neqve vulgata: [a] nec aliæ,

aliæ,[b] qvas ego qvidem vidi, verſiones, illud, *tu mentiris*, adgnoſcant: ſed hoc tantum: *falſum eſt.*[c] At inter haſce phraſes longa, lataqve differentia: cum *illa* ſemper ſit, & quidem vehementer injurioſa:[d] *hæc* non item:[e] *illa Retortionem* ex ſua natura ſapiat: *hæc* nullam:[f] ſed nudam dumtaxat contradictionem, vel excuſationem: qva ſe defendere vult S. Propheta, reſpondens contra objectum crimen: ne tacendo in ſuſpicionem vocetur: ac ſi criminis objecti reus videri debeat [g]

a) *Qvæ ſic habet*: Cuſtos portæ adprehendit Jeremiam Prophetam dicens: ad Chaldæos profugis. *Et reſpondit Jeremias*: falſum eſt: non fugio ad Chaldæos. b) *verſio* Santis Pagnini, *&* Franc. Vatabli *conſentit fere per omnia cum vulgari*: ad Chasdim tu transfugis: *dixitq́, Irmejahu*: falſum eſt: non transfugio ad Chasdim. *Nec diſcrepat* Immanuelis Tremellii, & Franc. Junii: *dicendo*: ad Chaldæos tu deficis: *cui dixit Jeremias*: falſum eſt: minime deficio ad Chaldæos. *En! conſentiunt hæ verſiones in cavſſa principali omnes! qvod* Jeremias *non dixerit*: tu mentiris: *ut refert Diſputator*: *ſed*: falſum eſt, qvod dicis. c) *qvod interpretatus eſt D. Lutherus*: das iſt nicht wahr / ich will nicht zu den Chaldeern fallen. d) *qvia inputat dicenti calumniam: qvod mala fide, falſo, & in fravdem illius, cui refert aliqvid, hoc dixerit: ut infra pluribus explicabitur.* e) *qvia injuriam nullam retorqvet in cuſtodem ſe transfugii inſimulantem, nec calumniam impingit ipſi: cum de forma Retortionis ſit dicere*: Tu mentiris, *vel qvidpiam huic ſimile: ut videre licet ſupr. part. 1. th. 10.* f) *conſentiens eſt enim omnium* Retortionis *Dd. opinio: qvod dicendo*, hoc eſt falſum *nulla inferatur injuria: ut docet* Harpr. *§. injuriam autem. I. injur. nu. 70.* Berl. *p. 5. concl. 59. th. 65. Ergo nec* Retortio, *qvæ non, niſi injuriam, retorqvet, hic locum habet.* g) *Nihil igitur hæc objectio ad rem facit: de qva vide etiam infr. th. 31. & 32.*

III.

Salvatoris noſtri exemplo ſe fruſtra tueri conatur theſ. 9. & 10. cum in locis adlegatis nihil reperiatur: qvod ad *Retortionem* faciat. In *priore* enim rurſus deſideratur adlegationis fides: cum hæc verba: *vos ex patre Diabolo eſtis*: hic non ſint retorta:[a] reliqva vero nudam habeant contradictionem: ſine ulla ullius criminis retortione. In *poſteriore* nihil aliud agit Salvator noſter,

qvam

qvam ut objectum crimen à ſe removeat per inſtantiam, & obpoſitionem contrarii.[b] Qvænam vero hic dabitur Retortio: & qvodnam qvæſo crimen retorqvetur?[c]

a) *Vulgata verſio ſic habet*: Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes. *Reſpondit* Jeſus; Ego Dæmonium non habeo: ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. *Concordat* Eraſmus: Ego Dæmonium non habeo: ſed cohoneſto Patrem meum: & vos ingnominia adfeciſtis me. *Item* Illyricus: Ego Dæmonium non habeo, ſed honoro Patrem meum, & vos contumelia adfeciſtis me. *Vel ut* Beza: Vos contumelia adficitis me. b) *Sic enim conviciantur Judæi v.15.qvidam avtem ex his dixerunt:* per Beelzebul (*vel ut Beza per Beelzebulem*) principem Dæmoniorum ejicit Dæmonia: Chriſtus *reſpondit v. 19.* qvod ſi ego Beelzebulis præſidio ejicio Dæmonia: filii veſtri cujjus præſidio (*vel ut Beza: per Beelzebulem ejicio Dæmonia, filii veſtri per qvem*) ejiciunt? ideò ipſi judices veſtri erunt. Porro, ſi (Beza: *ſin avtem*) digito Dei dejicio Dæmonia &c. c) *cum de ſubſtantia & forma* Retortionis *ſit, certum crimen, pro eo, qvod erat intortum, retorqvere: ut oſtendit d.th.10.p.1. Aſt ubinam hoc in his reperitur exemplis?* Jeremias *utiq; nihil retorqvet: ſed ſimpliciter negat verum eſſe crimen, qvod objiciebatur.* Salvator *noſter apud Div. Lucam nihil minus agit: qvam qvod retorqveat: cum tantum per inſtantiam ſe à convicio defendat, nullius recriminationis facta mentione. Apud Div.* Joánnem *Evangeliſtam idem hoc tantum agit: ut contradicat objecto crimini*: ego Dæmonium non habeo. *Nam qvod ſubdit: ὑμεῖς ἀτιμάζετέ με, retorqventi vim (qvia ἀτιμίαν Judæi non objecerant) non habet: ſed hunc dumtaxat ſenſum:* vos eo ipſo, qvod Samaritanum me, & Dæmonium habere diffamatis, contumelia me adficitis, & injuriam mihi facitis. *Aſt hæc non eſt* Retortio: *ſed qverela de injuria ſibi facta: vel ut JCti ex l. non ſolum 11. §. 1.* Injur. *loqvuntur:* revocatio injuriæ factæ ad animum. *Quod enim adfertur ex v. ſuperiore 44. vos ex patre Diabolo eſtis: huc referri non poteſt: cum ſit ante inlatam injuriam prolatum: qvo refutat Salvator Judæorum, quod eſſent ſemen Abrahæ jactantiam:* Vos ex Patre Diabolo eſtis, non igitur ex Abrahamo, qvo ad fidem, & opera veſtra. *Si igitur alia ex ſacris Scribturis diſputator proferre neqviverit: & hæc Retortionis velit haberi exempla: fateatur, ſe, qvid ſit Retortio, ſatis ſibi perſpectum non habere.*

Avcto-

IV.

Avctoritas *Dn. Meiſneri* Theologi loco adlegato *Retortionis* ne verbulo qvidem meminit. Neq; verò *uſus* ab *abuſu*: vel *Retortionis vulgaris* ab *exqviſita* diſcretio ad rem qvidqvam facit: cum nullus *Retortionis* poſſit dari uſus, ſine abuſu:[a] Et Retortionis *vulgaris ab exqviſita* diſcrimen nusqvam adpareat.[b]

a) *Qvod enim ex Juriſconſultis* Dn. Gailio, Mollero, (*qvi tamen conſtit. 42. n. ab Adverſario adlegato ex ſua animi ſententia nihil decernit: ſed unius tantum* Bartoli *& Romulei opinionem recenſet) & ex Notariorum Theſavro adfert: id petitione principii laborat: cum & hæc ipſorum doctrina ſit hic in controverſiam ex parte magna vocata: ex qva nullum dari principium poteſt: & cardo totius negotii tantum in hoc verſetur: Ecqvid* Theologus hanc Retortionis doctrinam *(non ex Juriſconſultorum opinionibus, ſed)* ex SS. Scripturæ vel præceptis vel exemplis conprobatam dare qveat. Hic Rhodus: hic ſaltus? Qvinqve *enim* reqviſita *illa, qvibus informatam vult* Retortionis *naturam, non tantum ex* Gailio *d. loc. ſic non probantur: ſed etſi maxime probari poſſent: Theologo parum prodeſſent: qvi* reqviſita *Retortionis, qvæ* Chriſtianum *deceat; non ex* Gailii obſervationibus Cameralibus: *ſed ex Spiritus S. cœleſtibus, & divinitus inſpiratis oraculis: non ex profana: ſed ſacra Scribtura demonſtrare debuiſſet. Idq; vel maximè ob hanc cavſſam: qvod Gailius loco à Diſputatore citato n. 8. v. fin. fatetur ipſemet candide: qvod hæc, qvæ ex Dd. opinionibus circa hanc materiam adferat,* magis Politice: quam Chriſtiane *ſcribantur, & diſputentur. Qva igitur fide hæc, qvæ* Chriſtiane ſcribta non ſunt, *à Theologo poſſint adlegari: viderit ipſe!* b) *Non enim rhombum pertinet: qvod* vulgaris, carnalis, & Adamicæ (*qvam ſic indigitat ille*) Retortionis *in abuſu, per theſes 24. exempla profert non pavca: cum illius qvam* exqviſitam *vocat, in* uſu vero *ne micam qvidem, ex ſacra protulerit Scriptura. Qvod ſi feciſſet, & veram Retortionis juſtæ & ejus qvidem* Chriſtianæ *formam, & virtutem ex* Biblicis *tam* præceptis *qvam* exemplis *protuliſſet: non eſſet de injuſtæ Retortionis difformitatibus, & vitiis laborandum. Qvia* rectum ipſum judex eſt ſui & obliqvi: & nullum de vitiis præceptum eſt in explicatione virtutis homogeneum, *inqvit* Petr. Ramus *Schol. Dial. lib. 19. c. 1. Vel ſi hic forte fuerit in Logicis cuipiam hæreticus: ſaltim avdeat* Dn. Philippum *Dial. lib. 4. de rat. diſ. vit. arg. dicentem*: qvod cognitis virtutis argumentis, non ſit in judicandis vitioſis opus novis præceptis: ſed tantum videndum: qvæ ad virtutis præ-

Digitized by Google

cepta congruant. *Si avtem regerat Theologus: qvinqve ſua ex Gailio* reqviſita, *pro demonſtranda* Exqviſitæ *Retortionis forma præmiſſa: in promtu reſponſio jam ante data: Qvod hæc, eo, qvo propoſita modo, ne qvidem ex Gailio monſtrari qveant: & ſi maxime poſſent: qvod Theologum* Retortionis doctrinam & praxin *Theologiæ probatam demonſtrare volentem, non deceat* Retortionis reqviſita *ex Dn. Gailio, vel aliis JCtis: ſed* ex SS. Scripturæ & Theologorum SS. Scripturæ congruentibus præceptis & exemplis *demonſtraſſe. Qvod cum hic præſtitum non ſit: fruſtra ſuſceptus hic omnis eſt conatus.*

V.

Vindictam à *Defenſione*; qvarum illa prohibita ſit: & hæc conceſſa: Item *vindictam publicam à privata* ſecernendam eſſe rectiſſime ſtatuit Diſputator.[a] Ecqvid avtem *Retortio* poſſit eodem ſenſu in *Publicam* & *Privatam* diſtribui:[b] nemini, certe nulli Juriſconſulto,[c] probatum dabitur. Interim tamen, qvod, ut *vindicta privata*: ſic etjam *Retortio privata* ſit repudianda:[d] largior utraqve manu: & hic Diſputatorem conſtrictum video:[e] Qvod avtem ſit *Retortio* ex jure Naturali[f] conceſſa defenſio, nevtiqvam concedo.[g]

a) *Ut hic ad avctoritatem Dn. Meisneri confugere, non fuerit in re notiſſima neceſſe.* b) *qvod qvidem facit Diſputator in th. ſua 57. his verbis:* Adfero vindictam eſſe duplicem (ſic & Retorſionem) Publicam & Privatam. *Ex qvibus verbis aliud non colligitur: qvàm id: qvod de vindicta dicitur: etjam de Retortione dicendum eſſe.* c) *omnes enim hi Retortionem privatæ vindictæ ſpeciebus ſubjiciunt: & ex propria (h. e. privata) avctoritate factam definiunt: ut ſupr. ex p. 1. th. 1. & ex Boter. cl. 6. dis. 1. th. 2. item Harpr d. loc. n. 90. manifeſtum.* d) *hæc enim ſunt Diſputatoris verba d. th. 57.* hanc (*privatam ſcilicet retortionem & vindictam*) repudiamus: *non illam publicam.* e) *qvia hæc Retortio, de qva hic controvertitur, eſt actio* mere privata, *& ex propria avctoritate ſuscepta, ut pavllo ante probatum feci. Et ſi maxime velit hanc JCtorum avctoritatem, qvi tamen ex profeſſo locis adlegatis hanc doctrinam Retortionis defendere ſatagunt, defugere Diſputator: ex ſuis ipſius convinci verbis poteſt.* Publica enim vindicta eſt, *ut ex* Dn. Meisnero *docet hic Diſputator;* qvæ fit ſecundum leges per Magiſtratum Dei miniſtrum.

ſtrum. Privata *contra*, qvæ ſine jure & mandato ex animo iracundo & inpatiente ſuſcipitur. *Hinc ſubſumo.*

Sed Retortio *ſine jure, & mandato ex animo iracundo & inpatiente ſuſcipitur.*

Ergo Retortio eſt vindicta privata Vindictam *avtem privatam repudiat Diſputator. Ergo &* Retortionem *repudiare habuerit neceſſe.*

Propoſitio *eſt ipſius Diſputatoris in d. ſua th. 57. cui contradicere neqvit.* Adſumtio *tam diu vera manebit: donec Diſputator probabit contrarium: nimirum: qvod Retortio ex certo jure dependeat: & qvod ex mandato Magiſtratus: item ex animo iræ experte, & patiente procedat. Id qvod* ad Græcas, *ut ipſe dicit*, Calendas *fiet. Nam ſi ex jure certo: vel Magiſtratus juſſu Retortio hæc penderet: publica eſſet: non privata vindicta. Et ſi Retorqvens iræ adfectus expers, & patientis eſſet animi: tum nullam* vindictam *ne qvidem* publicam: *tantum abeſt, ut privatam moliretur: cum patienter injuriam perferre; & de illa vindictam ſumere, ſibi invicem ſint obpoſita: qvæ in eodem, circa idem, ad idem, & eodem reſpectu atqve tempore conſiſtere non poſſunt.* f) *Qvod adſerit Diſputator th. ſua 56. his verbis:* Qvo & Retorſio ſpectat. *Qvod contradictionem implicat in theſi ſubſeqvente. Nam ſi defenſionis ſpecies eſt Retortio: qvæ obponitur vindictæ: qvomodo* Retortio *in ſeqvente theſi ſynonymon erit cum vindicta: ut eandem cum hac diviſionem recipiat? Si enim Retortio æqve eſt, vel* Publica vel Privata: *Et eadem definitio* vindictæ publicæ & privatæ: *qvæ Retortionis publicæ & privatæ: ut habet theſis Diſputatoris 57. Conſeqvens eſt Retortionem non eſſe defenſionem: qvia ſpecies eſt obpoſita vindictæ* Defenſio *in th. præcedente 56.* g) *Qvia qvod de injuria propulſanda in l. 3. I. & I. dicitur: id ad* injuriam Realem *tantum pertinet: qvod innuit Diſputator ipſemet: qvando ſe ad th. ſuam 18. & ſeq. refert, qvæ de reali injuria agunt. Sed opinio hæc eſt ſupr. p. 2. th. 14. cum ſeqq. refutata; & infra plenius confutanda veniet.*

VI.

Qvod avtem *Retortio* hæc *verbalis* vulgo recepta, ſit SS. Scripturæ & *præceptis* & *exemplis* adverſa: & per conſeqvens peccato res obnoxia: ex illius clariſſimis teſtimoniis eſt ſupra,[a] qvo ad *præcepta* evictum: Et exſtant, etjam præclara in hanc rem ex Biblicis hiſtoriis *exempla*: in *Joſepho:*[b] *Davide:*[c] *Corinthiis*

fratribus: d inprimis vero noſtrum omnium ſanctiſſimo Magiſtro & Principe virtutum, e Jeſu Chriſto, f cujjus imitatores eſſe, & ipſius veſtigia legere jubemur. g

a) *Part.2.th.5.& 6.* b) *Geneſ.50. v.15. cum ſeqq. ignoſcente fratribus ſuis: nec retorqvente ullam, ne qvidem verbalem injuriam.* c) *Qvando Simei maledicta & calumnias, cum in continenti potuiſſet, etjam incitatus à ſuis militibus, punire noluit 2.Sam.16.v.7.cum ſeqq.* Sinite, *inqvit*, illum ut maledicat. Forſitan reſpiciet Dominus adflictionem meam, & reddet mihi bonum pro maledictione ejjus. *Et 2.Sam.19.v.19.& ſeqq.ubi* David *contra ſuorum militum conſilium penitus & jurato qvidem remiſit huic injurias ante ſibi factas. Idem cum Legatos ſuos fœdiſſima injuria ab* Hanone, *ad qvem conſolandi caussa miſſi erant, conſpurcatos creviſſet: nullis adfectuum procellis commotus: hoc tantum dixit:* manete in Jerichunte, donec germinaverit barba veſtra. 2. *Sam.10. v.5. & 1. Paralip. 19.v 5.* d) 1. *Corinth. 6. v. 7. itaqve* jam qvidem omnino delictum in vobis eſt: qvod lites habetis inter vos invicem: cur non potius injuriam patimini: cur non potius damnum accipitis? immo vos injuriam facitis, & damno adficitis: idqve fratres. *Qvibus admonet Div.* Pavllus *ſuos diſciplinæ ſuæ* Chriſtianæ *commiſſos: non ut judicia Magiſtratuum fugiant: qvomodo hunc locum accipiunt* Anabaptiſtæ *&* Photiniani: *ſed ut materiam litium, qvam ad judices deferri neceſſe eſt, non ferant inter ſe: non injurias injuriis repellant: ut in flammas proceſſuum judicialium erumpant: ſed ut illas acceptas muſſitent: ut patiantur, & damni qvid tolerent potius: qvam cum ſcandalo litigent, & ad qvasvis injurias recriminando excandeſcant.* e) *de qvo teſtis eſt omni exceptione majjor Div. Apoſtolus Petrus* 1. *c.* 2. *v.* 21. *Qvod* injuriam injuria non retorſerit: ſed qvod adflictus ſit pro nobis: relinqvens nobis exemplum, ut inſeqveremur veſtigia ipſius. *Qvænam vero ſunt illa veſtigia* Dive Petre *dic qvæſo? Adtendite φιλαντιλοίδοροι, hoc eſt, Retortionum fautores!* ὃς λοιδορούμενος, οὐκ ἀντιλοιδόρει: πάσχων οὐκ ἠπείλει: παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως, *h. e.* qvi cum maledictis inceſſeretur, non regeſſit (*retorſit*) maledicta: cum malis adficeretur: non minabatur: ſed tradidit vindictam ei, qvi judicat juſte, *v.* 23. *Uſus eſt Apoſtolus vocabulo emphatico* λοιδοροῦμαι, *hoc eſt, conviciis & probris adficior: qvo* Iſocrates, Plato, Æſchines, Xenophon, *& alii hoc ſenſu ſunt uſi: cujjus activum* λοιδορέω, *hoc eſt, convicior, maledico: qvod Plutarchus uſurpat in apophthegmate* Philippi *Maced. Regis, cujjus ſupr. p. 2. th. 33. mentio facta:*

Digitized by Google

facta: qvod Oratores Athenienſes λοιδορῦντες Philippum feciſſent conviciando meliorem. f) *De qvo teſtis eſt Evangelica hiſtoria: qvod ſæpius à Phariſæis & Judæis hoſtibus ſuis conviciis, & maledictis proſciſſus, non raro, nec leniter qvandoqve contradixerit eis: ſed ut nunqvam in Retortionem ſit prolapſus: qvamvis Diſputator illius inſimulaſſe Filium Dei non erubeſcat: ſed inmerito, ut pavllo ante th. 3. lit. part. 3. dictum: & qvidem contra clariſſimum Divi Petri teſtimonium: In hiſtoria certè paſſionis plerumq; tacuit; & calumnias Judæorum ne quidem verbulo dignatus fuit: utut à judicibus, ut reſponderet, admonitus eſſet, Matth. 26. v. 62. & c. 27. v. 12. 13. 14. Marc. 14. v. 60. & 15. v. 4. 5. Joh. 19. v. 9. 10. Semel tamen & reali, & verbali injuria à Pontificiis miniſtro, qvi alapam ei, ob indecorum, ut prætenderat, reſponſum Pontifici datum, impegerat, adfectus, redarguit illum: qvod inmerito læſiſſet ſe innocentem: qvi nullius culpæ convictus eſſet: ſed ſine ulla Retortionis figura: qvæ ſecundum noſtros Retortores fuiſſet talis:* Tu verberas me: vel tu mentiris: ut fur, latro, &c. g) *dicto ſupra Div. Petr. loco; Et Pavl. ad Eph. 5. v. 1.*

VII.

Adrodere qvidem Diſputator teſtimonia SS. *Scribturæ* tria, contra Retortionem citari ſolita, voluit: [a] unum ex *Divo Matthæo:* [b] alterum ex *Divo Pavllo:* [c] & poſtremum ex *Divo Petro:* [d] prolatum: ita qvidem, ut *fallaciam comparatorum:* ſophiſma *à dicto ſecundum qvid:* & *elenchum petitionis principii,* circa hæc adlegata commiſſum putet: [e] Verum in adplicando *theſin ad hypotheſin* nemo adparet.

a) *in th. ſua 50. 51. 52. 53.* b) *c. 5. v. 39.* c) *Rom. 12. v. 19.* d) *1. Petr. 3. v. 8. 9.* e) *ut ſcribit in theſi ſua 57.*

IIX.

Qvantum enim adtinet ad *primum:* [a] id hujjus loci non eſt: cum non ad *verbalem:* ſed ad injuriam *realem* pertineat; qvod ex ſubjectis patet ſpeciebus: [b] In qvibus tamen explicandis Diſputator alucinatur non ſemel. Lubricum enim eſt: qvod illud: *ne reſiſtatis malo,* interpretatur: *non retorqvete injuriam:* ac ſi dixiſſet: *vos ipſos non vindicate avctoritate propria, ex odio, ira, inpatientia: ſed potius parati ſitis novam injuriam perferre: qvam veterem*

Digitized by Google

inlicite ulciſci.[c] Et vix conſtabit hoc ſibi: qvod hic opinatur Diſputator: prohiberi tantum privatam vindictam, & reſiſtentiam: cum Filius Dei expresſis verbis & publicam[d] includat.

a) *d. v. 39. ne reſiſtatis malo.* b) *ſi qvis 1. te cædit in dextram maxillam: ſi 2. velit tibi auferre tunicam: ſi 3. te adegerit ad milliare unum: ſi 4. cupit mutuum adcipere: ne adverſeris illi: ſed cædenti obverte alteram maxillam: auferenti tunicam permitte & pallium: cum adigente abito duo: & petenti abs te dato &c.* c) *ut ſcribit in theſi 58. Præterqvam enim qvod τῷ πονηρῷ ἀντιστῆναι non videtur* abſtractive *capiendum; ſed in* concreto, homini *ſcilicet* malo; *qvod innuit relativum* ὅστις, *ſubintelligendo* πονηρὸς: *Sane ſi hac eſſet interpretatio vera:* Retortio, *de qva controvertitur hic, ex præcepto Chriſti eſſet ex choro Chriſtianorum penitus releganda. Qvia omnes* Retortio *hæc, de qva Juriſconſultis eſt negotium*, ex avctoritate propria, *injuriam ſibi inlatam vindicat: nunqvam ex publica. Ad qvod obtinendum provoco ad omnium Juriſconſultorum, ſive* Retortioni *faveant: ſive illi invideant, avctoritatem. Et omnis* Retortio, *ſi non ſemper ex rancore*, ira, & odio: *qvod tamen freqventiſſimum: ſaltim ex* inpatientia *oritur: qvia eſt vindicta, & actio: qvæ patientiæ, ut paſſioni, contraria: qvod paulo ante dictum: ſub th. 5. hujus partis lit. e. circa finem.* d) *Sic enim inqvit in v. 40.* καὶ τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι, *hoc eſt, & ei qvi te velit in jus trahere (h. e. Tunicam tuam avctoritate judicis vindicare)* non debes, ne qvidem in judicio *avctoritate publica reſiſtere, & tunicam tuam defendere: ſed illi & pallium permittere. Qvod tamen ita nolo acceptum: ac ſi Defenſionem hic vel* neceſſariam: *vel* judicialem *cum Anabaptiſtis impugnare ſit animus: ſed qvod alia ſit Diſputatori, ex præcepti hujus conclavi elabendi rima, pro Retortionis tutela qværenda: cum hiſce contra adlatis magis ſe inpeditum: qvam expeditum, dederit. Ut enim Canoniſtæ cum ſuis Theologis nodum hunc non diſſolvunt: qvando huc confugiunt: qvod Servator noſter hic tantum* conſilia *dederit ad ſtatum perfectionis perveniendi: non præcepta: adeo ut ad illorum obſervantiam Chriſtiani ex neceſſitate ſalutis (ut tradit* Joh. Lupus JCtus *Hiſpan. in dialogo de conſæderat. Princip.) non ſint adſtricti: Prout hanc ſolvendi rationem, utpote blaſphemam recte obpugnant Theologi noſtrates: cum verba Chriſti præcipientis apud D. Matthæum ſint clariſſima: Sic etiam hi, qvi cum ſola vindictæ publicæ a privata diſtinctione tranſeunt, ſcrupulum non omnem eximunt. Licet enim cum his non faciam: qvi putant Talionem etiam publicam publicis Legum Moſaicarum ſanctionibus* Exod. 21. v. 24. *Lev.* 24. v. 18. *Deut.* 19 *v.* 21. *& alibi confirmatam, hic à Chriſto prohibitam eſſe: ad* ἐπιείκειαν *tamen Chriſtianam, qvod qvamvis rigorem vindictæ exaſperandæ ſervientem Filius*

Dei

Digitized by Google

Dei non tantum in cauſſis privatis: ſed etjam publicis, reformare voluerit, veriſimile videtur: non ut κατὰ λέξιν, qvod in ſpeciebus ſubjectis de maxilla ſiniſtra, pallio, milliaribus duobus dicitur, adcipiatur: ſed ut κατὰ διάνοιαν in genere Chriſtiani animus ſic in omnem caſum, & conformatus, & confirmatus eſſe debeat: ut prius qvam ἀντιστάσεις ſua, per lites & contentiones, ſive privatas; ſive publicas, pacem & tranqvillitatem, ſive publicam; ſive privatam commoveat: contentioſis hominibus ſe opponat: proximi caritatem lædat: vel ſcandalis anſam præbeat: aut ſuam ipſius in Deum, & proximum pietatem, adfectuum, odii, iræ, vindictæ, inpatientiæ, vel livoris ſtimulis interturbet: potius de jure ſuo tam in judicio publice: qvā extra judicium privatim cedere: injurias muſſitare: vel etjam condonare: nævos proximi tegere: & in omnibus majorem publicæ, privatæq; ſalutis, proximi caritatis, & ſuæ ipſius in Deum devotionis: qvam privati doloris, & commodi rationem habere: nec ad rigorem, æqvilibrium, & jus ſummum omnia revocare, & jura talionis exercere debeat. Qvo ſine dubio D. Apoſtolus d. ſupra loco 1. Cor. 6. v. 7. 8. collimavit: & in hunc ſenſum Dn. Chytræus, Illyricus, Aretius, & alii ſunt hunc locum in ſuis ad hoc caput commentariis interpretati. Pro qvo celebrantur etjam multa Sapientum apud Gentiles, Socratis, Ariſtidis, Periclis, Phocionis, Scipionis, Ciceronis, & aliorum tam egregia præcepta: qvam exempla inluſtria: qvæ hic recenſere nimis longum foret: & ſunt aliqva ex his ſupra in part. 2. ad th. 25. cum aliqvot ſeqq recenſita. Qvo facit: qvod licet Talionis legem etjam Romana qvondam Jurisprudentia in LL. XII. tabularum adgnoverit: qvod tamen poſtea Juris Prætorii avctoritate & clementia magna ex parte, ut Agellius lib. 20. c. 1. teſtis eſt, ſit mitigata: Et licet illius reliqviæ in L. libellorum §. item ſubſcribere. L. ſi cui pr. adcuſat. L. 3. C. qvi adc. non poſſ. remanſerint aliqvæ: qvod conſvetudo tamen hodierna hanc etjam ſuſtulerit duritiem: teſte Bart. in d. l. ſi cui. Felin. in c. ſuper his: col. 4. adcuſat. Ut mirum ſit: qvo Genio ſint illi ſeducti: qvi jus hoc talionis, tam in ſacris, qvam profanis LL magna ex parte exploſum, noſtro tempore velint circa Retortionis negotium in ſcenam ire poſtliminio revocatum.

Sed qvid reponet Diſputator ad hoc Filii Dei præceptum: qvod plus ad hunc facit rhombum, paulo poſt ſubjectum v. 44 At ego dico vobis: Diligite inimicos veſtros: beneprecemini: εὐλογεῖτε (non retorqvete) devoventibus vos: καταρωμένους: inqvit textus: a καταρῶ, h. e. exſecror, imprecor, diris devoveo. Ergo multo magis τοὺς λοιδοροῦντας conviciis vos inſectantes. Benefacite his, qvi vos oderunt: orate pro his, qvi lædunt vos: ut ſitis filii Patris veſtri qvi eſt in cœlis, &c. Qvod qvomodo adcommodari ad hanc diſtinctionem inter vindictam privatam & publicā poſſit. & an publice debeamus diligere & benefacere his: qvos privatim odiſſe poſſimus deſpiciendum fuerit. Interim ad alterum eſt transeundum.

In

Digitized by Google

64 PARS III. THES. IX. X.

IX.

In qvo Divus *Apoſtolus* Chriſtianos ſic hortatur: [a] *Benedicite his, qvi vos inſectantur: benedicite,* [b] inqvam, *& ne male precemini.* Et pavllo poſt: *neqve cuiqvam malum pro malo reddentes.* [c] Item, *non vosmet ipſos ulciſcentes dilecti: qvin potius date locum iræ.* [d] *Scribtum eſt enim: mea eſt ultio, ego rependam.* Et tandem: *ne vincaris ab eo, qvod malum eſt: ſed vince bonitate malum.* [e]

a) *Rom. 12. v. 14.* b) εὐλογεῖτε, *hoc eſt, ut explicat Illyricus:* non regente convicia: *Nam* εὐλογεῖν *non eſt idem, qvod* retorqvere. c) *v. 17.* μηδὲν κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδιδόντες. *Ergo nec convicium pro convicio: Qvia* λοιδορία, *convicium, vel maledictum, eſt malum: & exſecrabile qvidem.* d) δότε τόπον τῇ ὀργῇ, *v. 19. hoc eſt, interprete Aretio: non facile commovemini: ſed alterius vobis maledicentis furori cedite. Non eſtote ipſimet vindices, & judices veſtri: ſed relinqvite Deo injurias ulciſcendas per ſe vel per Magiſtratum.* e) ἀλλὰ νίκα ἐν τῷ ἀγαθῷ τὸ κακόν, *v. fin. Id qvod in Retortorem non cadit: qvem conviciatoris* criminatio *ad contrariam malitiam, nimirum ad* recriminationem *&* vindictam *abſtrahit: ita ut vincere ſtudeat conviciatorem: non* ἐν τῷ ἀγαθῷ: *ſed* ἐν τῷ κακῷ: *nimirum per injuriam retortam: Et ſic uterq; Rixator* ὑπὸ τοῦ κακοῦ, *h. e. à peccato & Diabolo vincitur: ut hunc locum explicat* Illyricus.

X.

Reſpondet Diſputator: diſtingvendo inter *Vindictam* & *Defenſionem:* ſed rationem diſtinctionis, qva differat *illa ab iſta*, nullam adfert.

a) *Qvanqvam enim hic utramq;* vindictam *nimirum &* defenſionem privatam *(defenſio enim publica neqvaqvam eſt ab Apoſtolo remota) intelligat: qvarum illa ſit prohibita: hæc jure naturali conceſſa: cujus ſpecies ſit Retortio: Nodum tamen non ſolvit à Divo Apoſtolo hic conſtrictum. Qvi enim retorqvet: is remaledicit: qvia convicium in conviciatorem ſuum rejicit. Deinde idem locum iræ adverſarii non concedit: ſed illius iram ira retundere laborat: Tandem* ἐν τῷ ἀγαθῷ *adverſarium non vincit: ſed* ἐν τῷ κακῷ: *qvia* omne convicium eſt malum, *ſive* intortum: *ſive* retortum: *Conviciatori enim non* male: *ſed* bene *dicere jubetur, qvi convicii eſt læſus. Et obſtat adhuc illud: qvod D. Pavllus hic iterum inculcat:*

Qvan-

Digitized by Google

Qvantum in vobis eſt: cum omnibus hominibus in pace vivetis, v. 18. *μετὰ πάντων ἀνθρώπων εἰρηνεύοντες. Si cum* omnibus: *etjam cum conviciatore ſuo Chriſtianus debet εἰρηνεύειν, h. e. in pace vivere: pace frui: & in pace ſe cum aliis continere: & qvidem τὸ ἐξ ὑμῶν:* qvantum unicuiqve eſt poſſibile. *Aſt hoc non obſervat Retortor: qvi retorqvendo non hoc agit: ut cum conviciatore pacem reconciliet: ſed ut ignem gladio ſubfodiat: oleum camino infundat: & adverſarium ſibi infenſum ante, reddat poſt infenſiſſimum. Et hoc ſine ulla neceſſitate: cum nemo eum ad retorqvendum cogat: cum in propatulo ſtent honeſtiſſimæ* Leges, & actiones: *qvarum beneficio* Famam *defendere ſuam paſſus convicium legitime poteſt: ut ad hoc brutum, & ferini ingenii, cenſente Pittaco Philoſopho, medium confugere non habeat neceſſe.*

Deinde ſi hæc diſtinctio debebit ad Juriſprudentiæ forum vocari: ita ſe inplicabit Diſputator: ut explicare ſe nunqvam poſſit: cum omnes uno ore Juriſconſulti Retortionem, ut ſpeciem privatæ vindictæ, *qvæ ex propria avctoritate exercetur, ſubjiciant: & exinde etjam definiant, ut ex part. 1. th. 1. conſtat. Ex qvo conſeqvens: Si D. Apoſtolus* hic privatam vindictam *prohibuit: qvod & Retortione Chriſtianis interdixit: cum nulla omnino* privata vindicta *ſit hoc in caſu licita: niſi qvam* neceſſitas inevitabilis *extorqvet: qvæ in Retortionem nevtiqvam cadit: cum nemo ad retorqvendum qvempiam cogere poſſit. Et ſi maxime non retorqveat injuriam læſus: nihilominus illam avxilio Magiſtratus inplorato ſemper vindicare, & famam, ſi velit, inlæſam tutari poſſit: Immo cum per conviciatorem ne qvidem innocentis fama lædi ullo modo qveat: ut ſupra dictum part. 2. th. 31.*

XI.

Tertium qvod refutandum ſibi ſumſit teſtimonium Diſputator, ex Divo Petro depromtum ſic habet: *Omnes ſitis unanimes, conpatientes, fraterna caritate præditi, miſericordes, adfabiles.* [a] Declarat hoc Apoſtolus ex Antitheſi: *non retaliantes malum malo.* [b] Qvod in genere dictum per ſpeciem declarat; *non retaliantes convicium convicio* [c] *ſed contra benedicentes.* Qværam in hujjus teſtimonii adlegatione fallacia commiſſa: dic ſodes! Convicium ſi tibi fuerit objectum, non debes id convicio rependere, vel compenſare: ſed contra *benedicere.* Recurres ad diſtinctionem: qvod aliud ſit vindicta: aliud defenſio: ſed fruſtra. Non enim *Divus*

I *Apoſto-*

Digitized by Google

Apoſtolus id convicium, qvod retaliatur conviciatori animo defendendi, permiſit: ſed ſimpliciter omnem λοιδορίαν prohibuit: & contra ſubſtituit εὐλογίαν: qva contraria eſt illi. Et qvod defenſioni hic nullus ſit omnino locus, ante dictum eſt; Cum nulla ſit defenſio in ll. noſtris ex jure naturæ conceſſa: niſi dumtaxat illa, *qvam extorſit inevitabilis neceſſitas: ſine qva ſe defendens eſſe & manere ſalvus, niſi ſe defendat omnino non poſſit:* qvalis hic omnino nulla; cum læſo ſemper proſtet apud Magiſtratum *publica* tam *defenſio:* qvam *vindicta:* ut *privata* non indigeat. Et ita verum manet hoc: *Qvod Retortio*, qvæ vulgo recepta, *ſit a jure divino reprobata.*

a) *1. Epiſt. c. 3. v. 8.* πάντες ὁμόφρονες, συμπαθεῖς, φιλάδελφοι, εὔσπλαγχνοι, φιλόφρονες. b) *v. 9.* μὴ ἀποδιδόντες κακὸν ἀντὶ κακοῦ; *qvæ ſunt ipſiſſima Divi Pauli verba Rom. 12. v. 17.* c) μὴ ἀποδιδόντες λοιδορίαν ἀντὶ λοιδορίας. *Qvod alia antitheſi inluſtratur:* τοὐναντίον δὲ εὐλογοῦντες.

XII.

Qvo iterum poſito, videndum eſt: An non, ſi non *divinis*; ſaltim *Retortio ſit Legibus Juſtinianis* adprobata. Qvod qvidem adſerere pleriqve conantur ex Jurisconſultis [a] maxime modernis. [b] Cum prætendant ad hoc obtinendum: Primum d. l. 3. Juſt. & Jur. [c] Sed ex qva hoc, qvod illi volunt, exſculpere nemo poteſt. [d]

a) *Ut patet ex th. 2. part. 1.* b) *Antiqviores enim in admittenda* Retortione *non modo parci admodum fuerunt: ſed etjam illam hoc in veſtitu, qvo ſuperbire paucos ante annos cœpit, nunqvam adgnoverunt.* c) *Qvæ ſic habet*: ut vim atqve injuriam propulſemus. Nam jure hoc evenit: ut qvod qvisqve ob tutelam corporis ſui fecerit: jure feciſſe exiſtimetur. d) *Nam qvod ex his aliqvi tradunt: hæc duo vocabula* (vim atque injuriam) *eſſe* disjunctim *&* diverſo *reſpectu accipienda: ut ſcilicet qvod* de vi *dicit Lex, referatur ad* corpus hominis: *qvod vero* de injuria, *id ad* honorem tuendum *pertineat: qvod poſt* Dn. Obrecht. *diſp. 3. de neceſſ. defenſ. th.* 48. *cum ſeqq. tradit* Harpr. *d. §. hæc actio n. 91. id absq; lege dictum videtur: atq; ideo non admittendum.*

Decla

Digitized by Google

XIII.

Declaratio enim hæc in Lege a *Florentino* JCto ſubjecta, hanc propulſationem *vis* atqve *injuriæ*, ad illam per qvam *(propter hominum inter ſe cognationem a natura conſtitutam, qva hominem homini inſidiari nefas eſt)* jure hoc evenit, ut qvod qvisqve *ob tutelam corporis ſui fecit, jure feciſſe exiſtimetur*, apertisſime reſtringit: nulla famæ & exiſtimationis (ſi corpus illa non læditur, ob cujjus tutelã jure facere liceret idem) mentione facta: qvam etjam verbi PROPULSARE etymon non admittit.[c]

a) *Ut clarus eſt d.L.3.textus. Qvi* vis *atqve* injuriæ *propulſationem* ad Tutelam corporis *reſtringit.* b) *Nam ſi corporis honori vis fiat: aliud ſtatuendum, ut pavllo poſt dicetur.* c) *Propulſare enim proprie eſt, vim & periculum ab armis, vel robore violento corpori alicujjus inſtans & inpendens, anteqvam perficiatur,* porro pellere, repellere, *& a corpore, ne lædatur,* amovere. *Qvæ* propulſatio *locum habere neqvit in convicio exprobrato: qvod primqvam eſt injectum, non ſentitur: & cum jam projectum & adceptum ſentitur: eo ipſo momento, id eſt conſummatum: & propterea propulſari jam non poteſt: nec ab eo cujjus honori injectum, removeri: cum* nihil tam volucre: qvam maledictum: *cum* nihil facilius admittatur: nihil latius disſipetur: *teſte* Cicer. *pro* Planc. *Cum item* verbum *(per qvod jactatur convicium)* ſemel emisſum ſit inrevocabile: *ut ex Horatio ſupra probatum p. 2. th. 17. Qvod ſi igitur convicium* inrevocabile, *fruſtraneus eſt propulſationis omnis conatus, qvo revocari injuria debebat, poſtqvam vulnus eſt famæ & honori jam inpactum.* Propulſatio *enim hoc agit: cum gladio vel armis corpori ſuo letale vulnus aliqvis mox inferendum animadvertit: ut arma contraria adgresſoris armis, repercutiendo, repellendo, & propulſando, ne penetrent ad corpus ſuum; obponat, & verbera inpendentia repellat: atqve obſtaculo objecto inpediat. Aſt ita convicium propulſari nullum poteſt: qvippe qvod in momento ex ore convicianti in avres præſentium penitrat: qvod anteqvam proferatur, nemo ſentire poteſt: & ſi maxime ſentiret qvispiam: eo ipſo momento lingvæ convicianti frenum injicere, vel ex ore evolans convicioſum verbum, ne perveniat in avres, avertere: & ſonum in aere mox cum avditu evaneſcentem, cohibere, & repellere non poteſt: ut ſupra p.2.c.14. cum ſeqq. eſt pluribus evictum. Falſum eſt igitur: qvod Jureconſulto* Florentino *hoc unqvam, qvod ipſi adſingitur, cui rerum natura repugnat, in mentem venerit.*

XIV.

Et ſane ſi qvis in avctoritatem hujjus glosſæ, qvam hic ad-

fingunt aliqvi hujjus legis verbis, ut *injuria* ſit hic idem qvod *convicium*, vel *injuria verbalis*, qvæ retortione propulſari ex juris naturalis inſtinctu qveat, inqvirat: vix ullam reperiet usqvam.[a] *Accurſius* hæc verba (*vim atqve injuriam*) interpretatur *vim injuſte inlatam*:[b] cum qvo facit doctisſimus *Coraſius*[c] *Jaſonem* pleriqve *Retortionis* Dd. in prima acie conlocatum adlegant: ſed fruſtra.[d]

a) Gothofredus *nihil in ſuis habet notis*. Cicero *hanc Legem* 1. *Officior. ſic explanat:* Principio generi animantium omni à natura tributum eſt: ut ſe, vitam, corpusqve (*nulla famæ facta eſt mentio*) tueatur: declinetqve ea, qvæ ſibi nocitura videantur. b) *& qvidem rectisſime: ut nimirum hic ſit verborum* Florentini *ſenſus:* vim atqve injuriam, *hoc eſt, qvæ talis ſit: ut adpareat*, non jure factam. Injuria *enim in generali ſignificatu id omne eſt: qvod* non fit jure, *ut docet Juſtin. in pr. I. injur. Neqve hoc infreqvens eſt in jure: ut copula non ſemper adjiciat, qvod ſeparatum: ſed qvod vel* ſynonymum: *vel prioris declarandi cavſſa adjectum. Sic enim* tutela *definitur:* vis ac poteſtas: *non qvod tutela ſit vis, qvæ alia: qvam* poteſtas: *ſed qvod ſit* vis, *qvæ cadat in* poteſtatem adminiſtratoriam: *qvam ſic vocant Dd.* c) *ad hanc in comm: ubi ad hæc verba:* Vim atqve injuriam *notat:* Vim ergo injuſtam, & injurioſam esſe oportet: ut eam vi repellere liceat: *L. fin. C. qvand. lic. unic. ſin. jud. Nam ſi qvæ* juſta *vis inferatur: minime concesſum eſt*, vi propulſare. *Idq; differentiæ cavſſa factum putat idem:* ut vis nudæ *propulſatio, qvæ brutis ineſt, differat a propulſatione* vis *&* injuriæ, *qvæ a ratione naturali procedit: & in bruta, qvæ judicio carent, atqve ideo injuriam nec pati, nec facere dici posſunt, non cadit. l. 1. §. ait Prætor. ſi qvadr. pavp.* d) *hic enim in com. ad hanc l. n. 36. ex hac lege pro Retortione adſtruenda nihil adſtruit: Sed tantum format hanc qvæſtionem:* Si tu dicas mihi injuriam: an ego qvaſi repellendo posſim tibi aliam injuriam dicere. *Et primum remittit Diſcipulos* ad Speculatorem: *qvem ſuo videbimus loco. Deinde dubitanter dicit:* ſibi videri qvod ſic: qvia cavſſæ vitæ & honoris procedant a pari: & qvia huc faciat textus valde ſollemnis (*ut ipſe loqvitur*) *in l.* qvæ omnia 25. *D.* Proc. *qvibus rationibus reſpondebitur ſuo loco.*

XV.

Qvamvis avtem ſint: qvi velint hic *injuriæ* etjam haberi rationem ſeparatam: & ſpecies factorum diverſas hic decidi; attamen

men ex his ſaniores [a] de ſola *reali injuria* [b] hanc propulſationem intelligunt: qvam licet libenter admittam: [c] qvia tamen illa ſine vi corporea, ut ita loqvi liceat, nunqvam inferri poteſt: & eam in *vim* recidere ſemper eſt necesſe: idcirco ne qvidem hac ratione a *vis propulſatione*, propulſationem hanc vel posſe, vel debere ſeparari, verius exiſtimo.

a) *Inter qvos Anteſignanum avtumo* Dn. Georgium Obrechtum *Argentinenſis Academiæ JCtum celeberrimum: qvi licet in Dıputatione ſua tertia, de* Defenſione necesſaria, *edita* Urſellis *Anno* 1603. Retortionis *hujjus* verbalis *dogma, ex hac exſtruere lege voluerit: poſtea tamen in tractatu ſuo ad hanc L. de hac eadem materia renovato, & Anno* 1617. *ab ipſomet typis commiſſo, in ſententiam longe aliam ſecesſit. A qva ſe poſtea acutiſſ.* Dn. Bachovius: *& Clariſſ.* Johannes Stuccius *Academiarum* Heidelbergenſis & Juliæ *qvondam florentisſimarum: ſed jam, pro dolor! præ furore Martio his in civilibus diſcordiis, dilapſarum Profesſores ſpectatisſimi,* ille *in not. Trevtl. volu.* 2. *diſp.* 30. *th fin. lit. G.* iſte *in Acad. diſp. tom.* 1. *diſp.* 3. *de* Deſenſione necesſaria, *ſive illum (non enim illius meminere) ſecuti: ſive ſuo ipſorum judicio freti, non præbuerunt alienos: Utut alias* Retortionis *doctrinam aliqvam: ſed non ita craſſam, & ex alio havſtam fonte,* Obrechtus & Stuccius *retinuerint.* b) *Cujjus exemplum proponit* Dn. Obrecht. *in d. tract. c.* 2. *ex* Livio *lib.* 8. *in* Luc. Papirio *qvi* C. Publio *debitori ſuo ſtuprum inferre conatus fuerat. Verum hoc, qvod tanti viri pace dictum ſit, ad hanc L. inluſtrandam, fere nihil facit. Qvia* Papirius *hic ſtupri vim* C. Publio *nondum intulerat: ſed nudatum tergum virgis cæciderat: ut ad patiendum ſtuprum cogi posſet: qvi ſic cæſus in publicum ſe proripuit, & laceratum tergum oſtentans plebem ad miſericordiam commovit: ut tumultu excitato Senatum ad jus illud nexi (qvo Debitores in manu creditoris erant) tollendum adegerit. Aliud igitur adſerre lubet de* C. Clavdio *militum Tribuno: qvi in exercitu* C. Marii *cujjus propinqvus erat, a* Trebonio *milite, cui pudicitiā eripere vi tentaverat, interfectus fuit. Cujjus meminit* Cicero *in orat. pro* Milone: & 2. *de* Invent. Plutarch. *in* C. Mario. *Hic injuriam Trebonio inlatam extra omnem eſt controverſiam: & qvidem ejjusmodi injuriam: qvæ honori, & pudori ipſius vitium obferre voluit: ſed qvod non animi mores, qvi ſolent conviciis, & injuriis contaminari: verum ſolius corporis rationem concernit: qvod* Trebonius *a vitio ſibi violenter obferendo, ne conſpurcaretur, vindicare, & hanc vim intentatam a corpore ſuo propulſare voluit: & ſic qvod fecit, principaliter* ob tutelam

ſui corporis *feciſſe*, *& hactenus illa nex Tribuno inlata a milite ſuo*, *ex hac lege, ut juſta defendi poteſt*: *qvia Miles* vim corpori ſuo *oblatam a* ſe vi relata propulſavit. *Qvamvis enim hic Tribunus vitæ corporis vim inferre in animo non habuerit: qvia tamen pudorem & honeſtatem corporis ipſius ereptum venit: ſine qva vita corporis ſibi turpiſſima, immo corpus qvaſi vita ſpoliatum fuiſſet futurum: cum honeſtas, & pudor corporis, qvaſi vita ſit altera: propulſatio hujjus vis juſtiſſima cenſeri debet. Ex qvo Divus* Hadrian. *recte reſcribit*: Eum qvi ſtuprum ſibi, vel ſuis per vim inferentem occidit, dimittendum, *l.1.§.penult.Sicar.* c) *Ut hic l.3.hujjus verbum* (atqve injuriam) *ad* Realem: *non ad* Verbalem *injuriam referatur. Qvia lex loqvitur, ut pavllo ante th.13.dictum, cum de* tutela corporis: *non* famæ, *vel* exiſtimationis: *tum de injuria* corpori *inferenda. Loqvitur item de* injuria propulſanda: *qvæ* violentam *injuriam, cui* vis alia *ſit obponenda, præſubponit. Utitur deniq; lex verbo* inſidiari: *qvod ad* vitam: *non* famam *refertur: teſte* Ulpiano: ſi ſervus meus ab alio in inſidias deductus, ab alio eſſet obciſus, *l. item 9. §. ſi ſervum ad L. Aqvil. Qvibus rationibus inductus* Dn. Obrechtus *d. c. 2. n. 8. rectiſſime, priore ſua opinione per δευτέρας φροντίδες reprobata, his verbis concludit:* Itaqve inprobanda omnium illorum opinio: qvi hanc legem 3. tam de verbali: qvam Reali injuria loqvi adſerunt. *Huic veriſſimæ ſententiæ adſtipulatur præter* Dn. Bachovium, Dn Stuccius *prædicto loco th.13.* qvando *reqvirit injuriam in hac lege talem*: *qvæ ſit* periculoſa: *cui tale periculum ſubſit: qvod non aliter, qvam manus propulſatione evitari poſſit*: *per l. 2. verb.* in dubio vitæ diſcrimine: *C. Sicar. cum alioqvi in iis caſibus, qvibus judicis avctoritate ſubcurri poteſt, nemini liceat* ſe ſine illo *vindicare: tit. C. qvand. lic. unic. ſe ſine jud. vindic. l. non eſt ſingulis 176. Reg. Jur. ſed qvilibet* ejjus arbitrio uti *debeat*: *l. ſi cujjus 13. §. de præteritis v. denique uſufr.* Non igitur, *inqvit idem th.17.* adſentiendum eſt illis: qvi adſerunt; hanc Defenſionem recte *ſuſcipi pro* nuda defenſione honoris. *Licet enim qvilibet æqve* vitæ ac famæ *inſervire debeat*: cum tamen qvilibet poſſit famæ (*inqvit idem th. 19.*) ſuæ conſulere ordinario modo juris: adeoqve periculum tantum non ſubſit: qvod non niſi manu propulſari qveat: *hæc defenſio pro illa* minus recte *ſuſcipitur th.17. &* Obrechtum *ſeqvuntur duo Spectatiſſimi Juriſconſulti* Dn. Eraſm. Ungepavr *Pandectarum Profeſſor in præluſtri academia* Altorfina, *in exerc. Juſtin. diſp. 13. qvæſt. 10. &* Dn. Ilico Ummius Friſius *in proc. jud. part. 9. diſp. 14.*

Et ita

Digitized by Google

XVI.

Et ita cum his concludo: Qvod ex hac *l.3 Retortio* vulgata nullo qveat exſtrui modo: & progredior ad id: qvod pro hoc dogmate firmando proferunt ſecundo loco ex *l. cum majjor 14. § ſi libertus 6. Bon. libert.* Qvam licet exoſculentur [a] Doctores communiter omnes: nihil tamen minus, qvam hoc, qvod vulgo volunt, hinc exſtruere posſunt. Qvia hoc in legis hujjus caſu agitur de *liberto*, qvi filium patroni in judicio non unius criminis adcuſarat: qvæ ille crimina in Libertum adcuſatorem *retorſit.* Ex qvo facto movetur qvæſtio: *Ecqvid filius inpune* [b] *crimina in adcuſationem deducta retorqvere potuerit?* Et reſpondet *Ulpianus: qvod ei ſit ingnoſcendum* [c] *ſi voluit ſe ulciſci* [d] *provocatus.* [e] Ex qvo non poteſt hoc inferri: qvod is, cui *privatim* eſt convicium ab alio factum, jure posſit dicere: *tu mentiris, ut fur, latro, ſceleſtus &c.* [f] & hoc dicto crimen, objectum ſibi, ſic vindicare: ut alia ſibi vindicta non ſit opus; immo, etjamſi velit aliam exercere non posſit. [g]

a) *Qvia obcurrit in illa verbum* Retorſit: *unde vocem*, Retorſio, *ſed ſatis inepte, ut ſupra in præf. th. 1. dictum, derivarunt.* b) *ita qvidem, ut in pœnam non inciderit: qvæ filio patroni erat propoſita: qvi Libertum calumnioſe criminis capitalis (exempli gratia* Majjeſtatis*) reum adcuſarat: nimirum ut a beneficio ſibi ex juris Prætorii benignitate indulto ſic removeretur: ut Liberti defuncti bonorum posſesſionem* contra tabulas *ipſius petere, & inpetrare non posſet. Unde patet: hic non agi de pœna* injuriarum: *ſed de illa: qvæ filio Patroni, Libertum criminaliter, ſed falso, adcuſanti debuerat infligi.* c) *Ex qvo conligitur: non qvod ex Legum ſcito, vel decreto ſic retorqvere ſibi licitum, vel præceptum fuerit: ſed qvod id, qvod ſic factum erat, ſibi eo usqve nocere non deberet: ut ob hanc cavſſam a* contra tabulas *bonorum* posſeſſione *petenda removeri posſet: qvia* ingnoſcendum ſit ipſi, *ut* Patrono: ſi provocatus a ſuo Liberto voluit ſe, *& qvidem in vim exceptionis, coram* tribunali, ulciſci. *Nimirum ſi tales hic perſonarum, & loci circumſtan-*

tiæ non interveniſſent: qvæ ſunt hic in perſona Patroni, *cui ad reverentiam maximam,& obſeqvium officioſiſſimum Libertus eſt obſtrictus: & coram* tribunali *& qvidem* in Reo excipiente *conſiderandæ: qvod* Ulpianus *veriſimiliter aliter fuiſſet reſponſurus.* d) *Qvæ ultio hic non fuit* privata: *multo minus* convicio, *vel diffamationi obpoſita: ſed* publica *in judicio contra, non convicíantem,vel Diffamantem: ſed* Adcuſatorem *calumnioſum, & qvidem in vim* exceptionis, *vel defenſionis, ut illum ab adcuſando repelleret, objecta: cum* ulciſci *ſit hic idem: qvod lege, judicioq; contra alium experiri: ut ex Cat. lib. 4. orig. docet* Scip.Gentil.*lib.1. parerg. c. 34. ut a* Dn. Eraſmo Ungepavr *loco jam ante citato rectiſſime eſt reſponſum.* e) *Non* convicio *qvodam, vel diffamatione* privatim: *ſed in judicio per* adcuſationem publicam: *& qvidem ab eo, qvi ſibi ad reverentiam, & omnis generis obſeqvia debebat paratiſſimus adparuiſſe: in qvem, qvod crimina eadem, qvæ ſibi judicialiter erant objecta,in judicio per modum exceptionis* retorſit, *cavtum hac lege: ut id hactenus ſibi ſit inpune: ne amittat jus* bonorum poſſeſſionis contra tabulas. *Qvia alias* provocatio *modus non ſit, liberandi ſe a pœnis delictorum: niſi qvod qvandoqve, pro ratione circumſtantiarum, judex pœnam ordinariam in leviorem mitigare poſſit: ut communiter Dd. exiſtimant: teſte* Jul. Clar. *l.* 5. *§. fin. q.* 60. *n.* 18. *& §. injuria n.* 14. f) *Hanc enim formulam* retorqvendi *præſcribunt vulgo* Retortionis *Doctores: ut ſup. part.* 1. *th.* 9. *dictum: cujjus ne qvidem minimum in hac* retortione *bic veſtigium reperitur: cum crimina objecta retorqvere potuerit Reus, ſine ulla injuria: ut hac exceptione ſe defenderet: & Libertum adcuſatorem ſocium criminis adlegaret: ut putat* Accurſius *in gloſſa hoc loco: vel a ſe crimen omne in adcuſatorem transferret. Qvo in caſu, qvod de Retortionis ſit ſubſtantia,nihil reperitur: qvia hic nullum præſubponitur* convicium, *nulla* diffamatio: *qvæ ſunt* Retortionis *vulgo uſurpatæ objecta neceſſaria: ſed tantum* Exceptio, *qva crimina Reus, in judicio objecta ſibi judicialiter, in adcuſatorem retorſit.* Convicium *enim &* Diffamatio *ſunt injuriæ: ibi inter* præſentes *in contentionis fervore: hic inter* abſentes, *& utrobiqve animo ignominiam, & contumeliam inferendi, & famam denigrandi jactatæ. Qvorum nevtrum de hac adcuſatione judiciali poteſt dici: cujjus finis eſt dumtaxat pœnæ perſecutio. Et licet aliqvando Adcuſator calumnioſe agens aliud ſpectet: id tamen ſit per adcidens tantum: & non* injuria: *ſed* calumnia *dicitur: qvam ſi Reus alia calumnia (prout in Retortione ſit alia injuria) retorqvere vellet: jure procul dubio factum hoc non eſſet.* g) *Qvod* Retortionis *Doctores pro effecto Retortioni tribuunt: ut ſupra dictum part.*1. *th.*13. *de qvibus qvid ſtatuendum, videbitur infra.*

Cum

Digitized by Google

XVII.

Cum igitur & hic pedem figere vulgata Retortionis doctrina neqveat: ſiqvidem *retorſit Patroni* in *judicio* a *Liberto adcuſati Filius*, non *diffamationes*, vel *convicia* ſibi facta: ſed crimina in *judicio* ſibi objecta: & qvidem eadem ipſa, (non alia) in *adcuſatorem* ſuum: qvod ſibi qvidem pro ratione circumſtantiarum eousque, ne jure bonorum posſesſionis ſibi conpetente privaretur, *ingnoſci* lex voluit: ita tamen ut hoc ipſum Retortionis factum, nevtiqvam per ſe juſtum, & legitimum: ſed dumtaxat, non eo modo, pœna ordinaria puniendum, pronunciarit: Supereſt jam, ut id etjam, qvod, ut omnium gravisſimum, eſt in ſubſidio locatum (*a*) refutemus argumentum, *ex l. qvæ omnia 25. §. 1. Procurat.* petitum. In qva Actor Procuratorem ſuum poſt litem conteſtatam ab officio procuratoris remoturus, prætendit nominatim cavsſam falſam, qvæ exiſtimationem ipſius onerabat: Exempli gratia: *Qvod falſi qvidpiam esſet in fravdem cavsſa machinatus: vel qvod cum adverſario conluſisſet Procurator.* Cui cum hic ſe in *Judicio* obpoſuerat, dicendo: *Dominum mentiri:* apud *Prætorem hæc finiri:* hoc eſt congnoſci, & per ſententiam determinari oportuit: ita tamen ut interim, durante ſcilicet congnitione, procurationis obficio fungi Procurator porro posſet. Quamvis enim alias Procurator *ferendus non ſit*, invito Domino ſibi procurationem adferens: qvia ſe eo ipſo, *qvod operas ſuas ingerat invito*, ſuſpectum arguat: *ferendus tamen eſt* (in obficio hoc ſuo) *ſi pudorem ſuum purgare velit:* dummodo proteſtetur: ſe hoc non facere: qvod *procurationem exſeqvi Domino invito malit:* ſed hoc tantum fine: ut *convicium* (a Domino in judicio ſibi factum) *purget:* & ſic *inlæſa exiſtima-*

tione ſui a *procuratione decedat.* (b) Qvid hic *Retortioni* hodie uſurpatæ ſimile: dic qvæſo? Fuit negocium hoc cœptum coram Judice, (*c*) ab Actore, Procuratorem ſuum ex cavſſa, quæ læderet exiſtimationem ipſius, removere volente. Procurator cernens ſuum honorem periclitari: dicit coram judice (*d*) *Dominum mentiri:* petens ut ſibi liceat ſuam innocentiam defendere; anteqvam procuratione carere cogatur: qva alioqvin cedere ſit paratus. *Ulpianus* cenſet: Procuratoris exceptionem æqvam eſſe: & ſic illum ad Prætorem (*e*) cum hac exceptione ſua dimittit. Ubinam hic *Retortio?* Dicere enim, qvempiam *mentiri* (*f*) non eſt idem: ac ſi retorqveat crimina, qvorum ſit adcuſatus: Et *retorqvere* non eſt, *inlæſam ſuam* (g) *exiſtimationem* tueri velle.

(*a*) Qvi ſic habet: ſed ſi adverſarius, vel ipſe Procurator dicat: dominum mentiri: apud Prætorem hæc finiri oportet. Nec ferendus eſt Procurator, qvi ſibi adſerit procurationem. Nam hoc ipſo ſuſpectus eſt: qvi operam ſuam ingerit invito. Niſi fortè purgare magis convicium: qvam procurationem ſuam exſeqvi maluit. Et hactenus erit avdiendus, ſi dicat: ſe procuratione qvidem carere velle: ſed ſi id inlæſa exiſtimatione ſua fiat. Ceterum ferendus erit, pudorem ſuum purgans. *In qvo ut & ſuperiore mire ſibi placent Dd. qvod ibi obcurrat verbum* Retorſit: *hic vero* mentiri. *Ex qvorum duorum verborum apiculo, & cortice hoc infavſtum & nefaſtum qvaſi jus in perniciem rei privatæ & publicæ, ex Maligni dubio procul illius Genii, qvi* διάβολος ἀνθρωποκτόνος, *qvi* ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκε *hoc eſt, calumniator, homicida, & mendax a Servatore noſtro, apud Johan. Evang. c. 8. v. 44. nuncupatur, ingenio derivatum.* (b) *ita caſum hujjus legis poſt* Accurſium *in gloſſa rectiſſime* Dn. Donellus *JCtus ille candidiſſimus expoſuit lib. 18. comm. c. 17.* (c) *Et hoc manifeſtum: Qvia talis mutatio Procuratoris poſt litis conteſtationem aliter non proceſſit: qvam* poſtulante *Domino, vel Procuratore l.* mutari 24. Procurat. *& qvidem* cavſſa congnita. *l. poſt. 17. eodem: qva aliter, qvam in* judicio *fieri neqvit:*

qvit. Si igitur hic Dominus, de qvo in hac lege 25. agitur, poſtulavit ſuum Procuratorem, qvia conluſiſſet cum ſuo adverſario, removeri: neceſſe eſt hoc in judicio factum. (d) *In vim nimirum exceptionis: qvod cedere qvidem vellet: ſi inlæſa exiſtimatione ſui fieri poſſet: non avtem poſſe prætendit: qvia Dominus hac poſtulatione ſuam exiſtimationem prægravarit: cum, qvod conluſerit cum adverſario,* ſit mentitus. (e) *Et hoc facit* Ulpianus *contra omnem* Retortorum *noſtrorum opinionem: qvæ vult: qvod Retortione interpoſita, jam ſint eo ipſo omnia pacata, conpoſita, & tranqvilla: ita qvidem, ut nec* Retortus *hiſcere contra-retorqvendo: nec* Retorqvens *injuriarum agere poſt qveat: ut ſupra part. 1. th. 13. cum ſeq. dictum. Aſt hic Retortione facta partes primum ad* Prætorem, *qvi ſuper hac Retortione (loqvor cum vulgo Dd. revera enim hic* retortio *nulla) congnoſcat, dimittuntur: ut ibi demum cavſſa cognita, hæc controverſia finiatur: qvæ per hanc* retortionem *finita non ſit.* (f) MENTIRI *hic nihil denotat aliud: qvam qvod Dominus falſo inſimularit Procuratorem conluſionis, cum adverſa parte.* RETORQVERE *vero in priore lege hoc tantum notat: qvod adcuſatus Patroni filius a Liberto, criminis* læſæ majjeſtatis, *hoc crimen retorſit in adverſarium: ut ipſum illius reum, vel ſocium faceret. Non dixit:* tu mentiris: *ſed tu es illius criminis reus: cujjus me adcuſas. In hac lege Procurator non retorſit crimen conluſionis in Dominum, dicendo:* non ego ſed tu conluſiſti cum adverſario tuo: *qvod eſſet ineptiſſimum: ſed hoc tantum:* tu mentiris, *hoc eſt falſo mihi adfingis: qvod ego cum tuo adverſario conluſerim*

Aliud exemplum: *Uxor adcuſat maritum adulterii, (qvod jure* Carolino *poteſt: ord. crim. ſanct.* 120.*) ad dotem repetendam, & divortium. Maritus vel dicit:* uxorem ſuam mentiri: *vel* retorqvet *hoc crimen in eandem.* Priore *caſu non incuſat uxorem adulterii: ſed ad ſuam provocat innocentiam, & proteſtatur: qvod uxor falſo, & per calumniam ſe adcuſet: petens illam cogi ad probandum: vel ſe ad innocentiam ſuam probandam admitti.* Poſteriore *Maritus non dicit:* Uxorem mentiri: *ſed* retorqvet *hoc crimen in ipſammet: qvod adulterium & ipſa perpetrarit: & propterea actio hæc ceſſet:* cum paria delicta civiliter intentata, mutua compenſatione diſſolvantur, *l. viro* 39. *ſolut. matrim.* Zanger. *except. p* 3. *c.* 8. *num.* 84. *cum ſeqq. Non tamen hoc exceptum ſic cupio: ac ſi ſemper retorqvens crimen, ejjusdem ſe reum arguat: ſed qvod longe aliud*

Digitized by Google

ſit: retorqvere crimen objectum: *aliud vero* mendacium objicere convicianti. *Cum qvi dicit ſimpliciter convicianti:* tu mentiris: *nihil retorqveat: qvi vero* retorqvet *ſimpliciter objectum criminis convicium: is non ſemper ſe innoxium objecti criminis faciat: niſi expreſſe dicat*, furtum exprobranti: tu es furti illius reus: ego ſum innocens. *Qvæ cauſſa eſt: ut* Ulpianus *utriusq; legis avctor, diverſimode reſpondeat: de* illo: *qvi* retorſerat, *non injuriam*, ſed crimina judicialiter objecta: qvod ipſi ſit ignoſcendum, qvi ſe voluit ulciſci provocatus: *de* hoc qvi ſuam exiſtimationem tueri inlæſam voluit: *non qvod ipſi ſit ignoſcendum: ſed* qvod honorem ſuum purgare volens, à Prætore ſit avdiendus. Illi ignoſcendum *cenſet:* qvi voluit ſe ulciſci. Huic *imputatur omnino nihil*: *qvia* exiſtimationem ſuam cupiens inlæſam ſervare, honorem ſuum purgavit. Illi *vero aliqvid imputat*: *qvia* voluit ſe ulciſci. *Qvod tamen impune debuit eſſe ipſi: non ſimpliciter: ſed ne ſuo jure caderet. Qvod enim hic* Ulpianus *dicit, de hoc, mendacium* objiciente, qvod ferendus ſit: *id non eo dicitur: qvaſi peccavit qvidpiam Procurator: qvod tamen ipſi ſit condonandum*: ſed qvod qvidem non ferendus ſit procurator *in procuratione, qvam* ſibi adſerit domino invito: ferendus tamen ſit in eadem: *ſi ideo a Procuratione diſcedere noluit: qvia* convicium & honorem ſuum *prius* purgare *voluit. Confunduntur igitur hi duo caſus vulgo a Dd. ſatis inconſiderate: qvi multis inter ſe differunt & variis circumſtantiis: ex qvibus jus variare in his eſt neceſſe.* (g) *qvod ex d. l. ſuperiore eſt manifeſtum: in qva* de purgatione honoris, exiſtimationis, vel pudoris, *qvam ſpectarit* Patroni filius, *verbum nullum: hic vero dicitur de* Procuratore: *qvod* ſuum pudorem, & convicium purgare, & inlæſa exiſtimatione *cedere velit. Qvod tamen ita adcipiendum: non qvod per nudum illud:* mentiris Domine: *ut vulgo putant: ſed provocando* ad Prætorem *& interventu* ſententiæ *ipſius*, honorem ſuum & convicium purgare atque inlæſam exiſtimationem *conſervare maluerit. Si* Ulpianus *ſenſu noſtrorum Dd fuiſſet imbutus: ita judicaſſet: qvia Procurator dixit*: Dominum mentiri: *jam omnis hæc controverſia ſopita: &* Procurator eſt ferendus in ſuo obficio: *qvia jam* honorem, *per illud* mentiris, purgavit. *Qvia autem* Ulpianus *litigantes* Dominum & Procuratorem *poſt mendacium objectum ad* Prætorem *remittit: apud qvem hoc mendacium, objectum Domino a Procuratore*, finiri, *hoc eſt congnoſci*,

Digitized by Google

gnoſci, & per ſententiam dijudicari oportuit: neq; vero Procuratorem abſolvit à convicio: ſed tantum paſſus eſt: illum tamdiu procurationi inhærere: donec convicium purgaret: ut inlæſa exiſtimatione carere hac procuratione poſſet: hinc evidens eſt: qvod hoc Dd commentum, qvod ſuæ retortioni *in d.th 13.cum ſeq. part.1.adfingunt,* Ulpiani *animo non inſederit. Et ſic etjam hic obex eſt remotus: in qvo removendo non tantum prædicti* Dn. Ummius *&* Ungepavr *mecum conſentiunt: ſed etjam acutiſſimus* Dn. Bachovius *d.ſup.loc.cujjus verba pro coronide libet inſerere: In l.14. bonis libert. non videtur* eſſe retortio: ſed contraria ſive mutua adcuſatio. Qvin neqve tam hoc tractatur *an jure id fiat, nec ne: qvam hoc magis:* qvod excuſetur, qvi juſto dolore provocatus à Liberto voluit ſe ulciſci: *& ut hactenus ſcilicet ingnoſcatur: ut ne à ſubceſſione ejjusmodi Liberti Patronus excludatur. In l.25. Procurat.* Non exiſtimandum eſt: *qvod Procuratori permittatur: ut hic injurioſo verbo mendacii arguat Dominum:* ſed ut liceat ipſi probare contrarium ejjus, qvod Dominus cum arguat ſuſpectum. *Idq; tanto magis probabile eſt:* qvod totum illud coram Prætore tractatur. *Objicitur etjam à qvibusdam hoc argumentum:*

Qvi facit aliquid, non ut alii noceat: ſed ne noceat ſibi: is recte agit.

Sed retorqvens hoc agit, *non ut illi noceat, cui convicium facit: ſed ne ſibi: Ergo recte agit.*

Propoſitio *probatur ex l.2. §. penult. ff. aqv. & aqv. pluv. arcenda:* ſi modo non hoc animo fecit: ut tibi noceat: ſed ne ſibi. *Sed hoc ita neceſſario limitandum: ſi id qvod facit aliqvis, nec per ſe cuiqvam noceat: nec tale qvod jure probibitum exſtet. Et ſic reſpondetur Adſumptioni: Qvod Retorqvens & illi, cui retorqvet, inferat injuriam: & qvod referendo* privatam exerceat vindictam, *qvæ regulariter eſt probibita.*

XIIX.

Evictum igitur eſt: Qvod ex LL. neqve *Divinis:* neqve *Civilibus* poſſit defendi *Retortio.* Videndum igitur: ecqvid ſaltim *ex jure Gentium,* vel illo, qvod *naturalis ratio* inter homines (a) conſtituit, comprobari qveat: ex qva ſic argumentantur: *Si licet vim armatam noſtro corpori inferendam*

Digitized by Google

rendam armata vi repellere: licebit etjam injuriam famæ, honori, & exiſtimationi noſtræ verbis inlatam, contrarijs verbis repellere: (b) Et per conſeqvens *injuriam verbalem verbis in adverſarium retorqvere.* Sed verum prius. Ergo & poſterius. De *adſumtione* controverſia eſt nulla: adeo ut momentum ratiocinationis omne ſubſidat in probanda *propoſitionis connexitate:* qvam hanc adferunt:

(a) §. Qvod vero. *Inſtit.* de Jur. Nat. Gent. & Civil. (b) *Sic ratiocinantur:* Harprechtus *& alii omnes* Retortionis *Patroni, maximo cum adplauſu: ut ſupr. ex th. 4. p. 1. pateſcit.*

XIX.

Qvia *vita* & *Fama* paribus ambulant paſſibus: & non minus *fama* curanda: qvam ipſa *vita.* Qvia gravior honoris, & famæ: *(a)* qvam oculorum, vel omnium bonorum amiſſio. *(b)* Sed ſi hæc *æqviparatio vitæ* & *famæ* ſibi non conſtat per omnia: labitur totum argumentum. *(c)* Qvod *non per omnia:* loco plurimorum adduco integerrimum JCtum *Papinianum* cenſentem: *Qvod cujjus famæ: multo magis vitæ parcendum (d)* Qvod item circa momentum *Defenſionis neceſſariæ* hic omnia ſint diſparia, patet 1. Qvia *corporis* quidem, & *ipſius honoris ſalus* in ſummum diſcrimen, & inreparabile damnum præcipitari poteſt: *(e) fama* non item. *(f)* 2. Qvia *corpori* inpendens periculum violentum *vi repelli* debet: & mature poteſt, ne inferatur: *(g)* non item *famæ, & exiſtimationis.* (h) 3. Qvia Propulſatio *vis à corpore* ſemper objectum habet damnum *violenter inferendum: ne inferri poſſit:* ſed *à vi inpendenti* defendi: *(i) Honoris* avtem & *famæ* cura verſatur circa damnum jam *famæ inlatum:* non ut ab inpendente damno præſervetur: ſed ut jam *acceptum damnum vindicetur. (k)* 4. Qvia deniqve *a vi* Propulſatio *ſi juſta:* ſemper eſt *neceſ-*

ſaria,

Digitized by Google

ſaria, & *inevitabilis:* niſi ſalutis diſpendium pati velit vi pulſatus: (l) *famæ Retortio* non item. (m) Qvia ergo in momento *Defenſionis neceſſaria* diſparia hæc omnia ſunt: nihil *à diſparatis diverſis, & diſſimilibus* inferri poteſt. Et ita labitur hæc tanto cum molimine *æqviparatio* ſubſtructa.

(a) Harpr. *d. loc. nu.* 49. *Qvia ut* vis vi *propulſari jure poteſt: ſic non immerito jure feciſſe exiſtimatur: qvi ob tutelam famæ verbalem injuriam vi retorqvet: ut* Obrechtus, *d. tract. c.* 2 *th.* 11. *ubi dicit ex d. l.* 14. *Qvod Libertus provocatus injuriam* retorſerit: *ut retorqvens actione injuriarum* non teneatur. *Qvorum nevtrum ex hac lege probari poteſt.* Non prius: *Qvia* Ulpianus *non dicit in d. l.* 14. *qvod Patronus injuriam: ſed qvod* crimina *in eum* retorſerit. Phraſis *enim illa:* Retorqvere injuriam *nusqvam in jure* Juſtiniano *legitur.* Non poſterius: *Qvia hoc in lege hac nusqvam adſeritur: qvod* ingnoſcendum *ſit illi: ne actione injuriarum petatur: ſed* ne removeatur a bon. contra tabb. petitione: *ut idem* Ulpianus *in ejusdem l.* §. *præcedente loqvitur. Multo minus id evincitur ex d. l.* 25. *ut idem* Obrechtus *putat. Non enim dicit* Ulpianus, *qvod Procurator* ſit ferendus, ne conveniatur injuriarum: *qvod mendacium Domino objecerat: ſed* ne cogatur carere procuratione, *qvamdiu in honore ſuo contra Dominum* purgando *ſit obcupatus.* (b) *Ad hoc probandum adducunt I. l.* in ſervorum 10. §. *fin.* Pœn. *II. l.* Julianus 26. Si qvis omis. cavs. *teſt. III. l. infamia* 8. C. Decurionibus. *IV. l. Juſta.* 9. man. vindict. *V. l. iſti qvidem* 8. §. 2. Qvod met. cavs. (c) *Videamus ll. in probationem adductas. In I. JCtus ait:* Qvod ſolus fuſtium ictus gravior: qvam pecuniaria damnatio. *Aprosdionyſon. Qvia hic non fama comparatur cum vita: ſed fuſtigationis pœna: cum multa pecuniaria. In II. agitur de patre, qvi honore proprio omiſſo, propter compendium alienum, inſtitutionem maluit.* Nihil ad rem. *In III.* Infamia tibi abominanda: non etjam amisſionis oculorum caſus. *Ad rhombum parum. IV. Juſta manumisſionis cavſa:* ſi periculo vitæ, infamiæve Dominum ſervus liberaverit. *Et hoc parum monet. In V. Qvod* viris bonis metus ſtupri majjor: qvam mortis eſſe debeat. *Ex his, qvod huc pertineat, hoc ſolum evincitur: Qvod* Famæ rationem vir bonus

nus habere: *& illam,* ſi cum turpitudine ſit amittenda, *etjam corporis ſaluti præferre debeat* in caſu neceſſitatis. *Sed qvid hoc ad hunc rhombum: qvod* eadem ratione, forma, & modo, *fama, & vita* ſint in caſu neceſſitatis defendendæ? (d) *l.* ſi adulterium 38. §. *liberto.* adult. (e) *Si enim* vita *ſemel amiſſa ſit: ſi corpus ſtupro ſpurcatum: nullum ſupereſt recuperandæ vitæ, vel honoris in corpore pudico amiſſi remedium. De vita res planiſſima. De honore pudicitiæ verſiculi teſtantur inſignes* Dn. Philip. Melanchthonis:

Ut, cum de ſtatua facies formoſa remota eſt:
  Non decus in reliqvo corpore truncus habet:
Sic reliqvi mores ſpreti ſine honore jacebunt:
  Ni ſint ornati lavde pudicitiæ.

Sic Lucretia *honeſtiſſima matrona* a Sexto Tarqvinio *violentum perpeſſa ſtuprum,* Collatino *marito hujjus rei ingnaro quærenti:* Satin ſalva? minime, *inqvit:* Qvid enim ſalvi eſt mulieri: amiſſa pudicitia? Livius *dec.* 1. *lib.* 1. (f) *Illa enim* proprie *loqvendo, &* per ſe, *non modo* non adimi: *ſed* ne vulnerari *qvidem poteſt. Etſi maxime damnum, vel vulnera videatur reſpectu aliorum per injurias, calumnias, convicia, & famoſos libellos perpeti: hæc tamen ejjusmodi ſunt: qvæ ſine magna difficultate* avctore judice *vindicari: reparari: recuperari: in integrum reſtitui, & ſanari qveunt.* Defenſio *igitur* famæ, & exiſtimationis honorificæ *in neceſſitatis diſcrimen* extremum, inevitabile, inreparabile, & inrecuperabile, *ut internecioni fama detur, niſi adhibeatur in continente*, nunqvam vocari poteſt: *qvod ipſemet* Harprechtus *fateri cogitur, ſibi ipſimet contrarius, in d.* §. hæc actio 12. *num.* 188. *Nunqvam igitur hac violenta neceſſaria defenſione ſibi opus fuerit.* (g) *Id qvod in controverſiam raptari non poteſt. Verbera enim repelli neceſſe eſt evibrata, & inpendentia: anteqvam corpus objectum contingant, cædant, contundant, penetrent, transfodiantur. Si qvo deſtinata ſunt, verbera pervenerunt: ſerior defenſio, vulnere jam inpacto letali. Unde eſt: Qvod in* neceſſitate *conflictus conſtitutus, ictum non exſpectare: ſed inſtantem propulſare, & à ſe removere debeat. Qvidqvid enim vulnerum, poſt vulnus acceptum, ſi plura non impendeant vulnera, viciſſim infligitur vulneranti: id omne ad vindictam: non neceſſariam defenſionem pertinet:* Schneid. *ad* §. *injuria* 1. *n.* 12. *Inſt. injur.* (h) *Convicium enim prævideri non poteſt in lingva & ore adverſarii:*

multo

Digitized by Google

multò minus metuendum poteſt in lingua cohiberi: & ſemel emiſſum mox in avres penitrat: & in aerem evolat: ut adcipiatur, priusqvam ſentitur: nec ullo ſemel prolatum modo coerceri, averti, vel qvo minus exavdiatur, repelli poteſt. ut pluribus evictum ſupra p. 2. th. 16. & 17. lit. e. (i) *Si enim vulnus jam ſit adceptum: niſi metuatur aliud: defenſio, & propulſatio locum non habet: ſed cogitur vulneratus, vel obciſi nomine alius, vindictæ cavſſa obſicium Magiſtratus implorare: qvod ſupra probatum: part. 2. th. 15.* Schneidev. *d. jam loco.* (k) *Nulla enim fieri ratione poteſt: ut factum convicium poſſit reddi infectum: ſed ſola ſupereſt vindicta: ut ſupra dicto loco demonſtratum. Nodum qvidem hunc ſolvere conatur D.* Obrechtus *d. loc. n. 14. his verbis:* ut is qvi vim repellit, non dicitur novam vim facere: ſed inminentem, vel jam inlatam propulſare: Sic retorqvens injuriam nō dici debet, novam injuriam infligere: ſed potius inlatam retorquere. *Sed fruſtra. Non enim neceſſario defendens ſe,* vim inlatam *ut ille putat,* propulſare *poteſt: ſed* jam inminentem *tantum: anteqvam ad objectum, qvod contingere laborat, perveniat.* Inlata jam vis *repelli neqvit: qvia* facta *eſt, &* perfecta. *Aliam ſubſeqventem qvidem vim propulſare recte poteſt, etjam adcepto vulnere: ſed anteqvam ſit inlata, vis illa, priorem inlatam ſubſeqvens. Et cur* non propulſans, novam vim inferret: *cum lex concedat* vim vi *propulſare: qvod de diverſis* vis, vel violentiæ *ſpeciebus capiendum? qvarum* illa *dicitur* Inlicita, & prohibita: *qva* infertur ab invaſore: Iſta *vero* licita, & conceſſa: *qva* refertur à ſe defendente. Illa *prior:* Hæc *poſterior: & ſic novior, ut ita loqvi liceat.* Illius inferendæ *modus eſt a* propulſanda vi *diverſus plerumq;: cum non ſemper iisdem armis confligentes utantur: nec eodem evibrandi tela modo. In* Retortione injuriæ *ratio ſe habet aliter: fateor. Sed* Retortio *non eſt propulſatio. Et dicunt JCti:* Injuriam propulſare*: non avtem* retorqvere. *Fieri poteſt: ut verbis inlata crimina eadem, & non alia retorqveantur, & iisdem verbis: ut ſuum Dn.* Obrechtus *caſum format d. c. 2. n. 9. qvo* Mævius Sempronium *vocavit proditorem: hic contra recriminando* Mævium *proditorem viciſſim vocavit. Sed cur non & hic injuriæ ſpecies duæ: qvarum* illa Intorta, & prior: altera retorta, & poſterior? *Et ſi* poſterior *vera non eſt:* Si Mævius *proditor non*

 ſit:

ſit : & nunqvam antea tali adfectus injuria : cur non erit nova *dicenda? Et quid : ſi Dn.* Obrechtus *ſibimetipſi non conſtet hic : cum caſum n. 9. propoſitum, mox n. 17: reformet his verbis, ſcilicet : qvod* Sempronius *non debeat viciſſim dicere :* Mævium *eſſe proditorem : ſed quod dicere debeat* : ſe non eſſe proditorem : *ſed* Mævium potius tamdiu proditorem habendum, donec Sempronium eſſe proditorem probaverit. *Sed qvo in jure hæc formula præſcribta?* Filius Patroni *in d. l. 14. tali non eſt uſus formula : ſed* retorſit crimina, *qvorum erat adcuſatus, in ad uſatorem. Qvi autem* retorqvet *aliqvid is illud ipſum, qvod erat in ſe emisſum, retorqvet : non aliud. Verum hic* aliud *retorqvetur. Non en m Sempronius dicere debet :* Qvod Mævius ille proditor ſit : qvem ſe Sempronium eſſe dixerat : *cum hoc eſſet* retorqvere illud ipſum : *ſed qvod* pro Proditore *ſit habendus : donec probaverit objectum proditionis crimen. Aliud enim eſt :* Mævium eſſe Proditorem : *aliud* eum videri, *vel* habendum eſſe pro Proditore : *& qvidem non* ſimpliciter, & pure : *ſed* ſub conditione *duntaxat : niſi* Mævius *probaverit : qvod* Sempronius ſit Proditor. *Qvæ conditio in animis auditorum hoc operatur : ut* Sempronius *non omnino æſtimetur innocens : ſed tum demum : qvando conſtiterit :* Mævium *non eſſe crimen objectum probaturum. Qvod autem* Sempronius *hac regeſtione ſtatim crimen à ſui exiſtimatione depulerit : & in Mævium retorſerit : ut putat Dn.* Obrechtus *n. 15. id qvidem ſatis* confidenter *dicitur. Sed ubi* lex : *ubi* ratio : *ſine qvibus* loqvi JCtus erubeſcit? *Lex 14. ex cujjus depravato intellectu ſtaturiginem* Retortio *traxit, hujjus opinionis nihil omnino habet : qvippe qvæ factum non probat :* ſed excuſat *tantum in hunc finem : ne propterea à jure ſuo* contra tabb. petendi, *removeatur. De reliqvo : Ecqvid Liberti adcuſatio radices in Patroni Filio egerit : an vero ille eam* ſtatim retorqvendo *à ſui exiſtimatione* depulerit : & vi ſuæ retortionis *ſe ab adcuſatione* læſæ Majjeſtatis liberarit : *ſuam innocentiam* purgarit : *& crimen hoc in* Libertum tranſtulerit. *Lex adlegata ne minimum qvidem, nec* definit : *nec* diſtingvit. *Qvo jure igitur Doctores noſtri hoc commentum ſui cerebri huic legi adſigere qviverunt? Et ita ſublatum erit hoc, qvod* Rationi naturali *ſuperſtructum erat fulcrum. Nam qvod adſerunt ex l,* ſi adulterium *38.* §. Impera-

tor

tor. Adult: *id parum movet: cum nemo neget hoc: qvod mitius ſit agendum cum illo: qui injuriis* provocatus juſtum dolorem *temperare, qvin referendo injurias ſe vindicaret, non potuit. Sed cum hoc controvertatur:* Ecqvid is juſte agat: & jure feciſſe videri debeat: qvi provocatus regeſſit convicia: *judicare difficile non eſt: hanc rationem, & legem plus obeſſe qvam prodeſſe* Retortionis *fautoribus.* (l) *Qvando enim aliter eluctari ex neceſſitate discriminis poteſt ſe defenſurus:* ad vim procedere non debet: ſed alias elabendi rimas qværere. (m) *Qvia ad* retorqvendum *nemo invitus cogi poteſt: nec tantum poteſt* verbalis injuriæ *discrimen fingi vel pingi: qvod declinare non poſſit injuriam paſſus: etjamſi ne hilum retorſerit. Qvia habet* ordinaria remedia *in jure propoſita: qvibus uſus omnia etjam atrociſſima, & millies millena vulnera conviciorum inflicta ſanare: & honorem atq; famam læſam in integrum reſtituere poſſet: ſi vellet.*

XX.

Supereſt igitur hoc unicum: Cum *lege* & *ratione* deſtituti, ad *communium opinionum* ſubterfugium provocent (a) noſtri: *Ecqvid illarum tanta vis ſit: ut inſtar conſvetudinis, qvod non erat, jus facere poſſint?* Qvod ego eqvidem nego: & pernego: Qvamvis enim negari non poſſit: Si opiniones Doctorum *numerandæ* potius ſint: quam *ponderandæ*: quod *majjor pars* Doctorum, *Retortionem,* ut juſtam, & probam exoſculantium *victura ſit minorem* qvidem: ſed ut Livius habet, *meliorem*: qvæ illam, ut *inprobam* & *injuſtam*, repudiat: Qvia tamen hoc, *qvod ſententiæ numerandæ ſint:* rationi conſonum non eſt: (*b*) neq; vero legibus cavtum: (*c*) & qvia conſvetudo rationem vincere non poteſt: (*d*) Hæc etjam *communis opinio* (*e*) tanti roboris eſſe non debet: (*f*) ut *Retortionem* contra jus *Divinum: ſanæ rationis arbitrium*: & Reipublicæ Salutem, præter *legis præſcribtum*, & *rectius ſentientium judicium*, nobis, ut juſtam, & æquam (*g*) obtrudere poſſit.

 (a) Qvam-

(a) *Qvamvis enim aliqvi* Retortionis *hanc velint Juris Juſtiniani fundamento ſuperſtructam doctrinam : lavdandus tamen aliorum candor : qvi totum hoc commentum* communi Doctorum opinioni *adceptum referunt : inter qvos* Berlichius *part. 5. concluſ. 64. th. 1. qvi* Retortionem hanc ex conmuni & ubiq; (qvod verum, ni fallor, non eſt,) locorum *recepta opinione* : & Conlegium Argentoratenſe, *qvod eam ex* traditionibus Doctorum (non legibus) *dimetitur*. (b) *Tametſi enim* pleriq; ex veritate pavca : ex opinione multa judicent, *teſte* Cicerone *pro Roſc. comæd* : & *deſinant ſuum adhibere judicium : id habentes ratum* qvod ab eo, qvem probant, judicatum vident : *ut inqvit idem 1. de nat: Deorum* : & *ea tueantur* : qvæ dicta ſunt ab iis, qvos probant, *ut idem 1. de finib.* & tantum opinio præjudicata poſſit ut etjam ſine ratione valeat avtoritas : *tamen non* tam Avctores *in diſputando : qvam* Rationis momenta *qværenda ſunt. Qvin etjam* obeſt plerumq; iis : qvi diſcere volunt, avctoritas eorum : qvi ſe docere profitentur. *Qvanqvam enim reperiantur non pavci : qvi probare ſolent : qvod de* Pythagoricis *adceptum : qvos ferunt : ſi qvid adfirmarant in diſputando, num ex eis quæreretur* : qvare ita esſet, *reſpondere ſolitos* : αὐτὸς ἔφη : *hoc eſt* : ipſe (*Pythagoras*) dixit. *Id. d. loc.* de nat. Deor. *non tamen ex diſertisſimi* Qvinctiliani *in Orat. Inſt. judicio*, Oratori (*addam ego* Juriſconſulto) id contingere debet, inter adverſarios (*judices* :) qvod Pythagoræ inter diſcipulos. Ratione *enim pugnare* : non avctoritate debemus : *inqvit Cicero lib. 3. de nat. Deor. Et* Philoſophi non eſt, teſtibus uti : *qvi avt* caſu varii : *avt* malitia falſi, fictiqve eſſe *posſunt* : *ſed* argumentis & rationibus, qvare qvidq; ita ſit, *docere : non avctoritatibus : iis præſertim* ; qvibus liceat non credere. *Id. 2. Divinat. Plus enim* apud ſapientes (*Juriſconſultos* :) vera ratio *valebit* : qvam vulgi opinio : *ut idem cenſet*, parad. 1. *Qvia cum* exqviſita rerum varietas ſubtilius *exqviritur : per* exiguam vim probationis *avctoritas habet : docente* Petr. Ram. *Dial. lib. 1. c. 32. Atq; ideo* Plinius, *homo licet avlicus, in epiſtolis, de ſui temporis Conſultationibus conqveritur : in qvibus ſententiæ* numerari : *non* expendi *ſolerent Et hoc contra* Senecæ *ſapientisſimi preceptum lib. de virt.* non te moveat dicentis *avctoritas : nec* Qvis : *ſed* Qvid *dicat, Intendito* :

Nul-

Nullius addictus jurare in verba Magiſtri:
qva Horatii *cavtela. Qvo reſpexit avctore* Plutarcho Dinon Tarentinus *fortisſimus exercituum ductor: qvi in bellico conſilio plurium Centurionum ſententiis conſentientibus avditis, ad ſolius Præconis diverſam proferentis, his verbis adplavſit:* ἥδε κρείσσων ἡ ἄυλη κυρία: *hæc unius* melior: *ergo* potior *hæc erit illa, qvæ plurium avctorum. Neq; vero ſic, (ut recte monet* Plutarchus, *in moralibus) parendum* avctoribus: ut pueri obtemperant pædagogis: *ſed qvemadmodum* Cato: *puer, qvi ſicut pædagogo qvidem* jubenti obtemperabat: *ſed rogabat*: qvam ob cavſſam juberet: *Sic fides eſt habenda* avctoribus: *ſi* cavſſam idoneam *reddiderint*. (c) *Immo potius contrarium eſt adprobatum à D.* Juſtiniano *l. 1. §. ſed neq;. C. de vet. jur. enuc.* Neq; ex multitudine Avctorum, *inqvit*, ſed qvod melius & æqvius eſt judicatore: cum posſit unius forſan, & deterioris ſententia, & multos, & majjores, aliqva in parte ſuperare. *Sic* Arcadius JCtus *præcipit*: Non ad multitudinem *(Communem opinionem)* reſpici oportere: *ſed* ad ſinceram teſtimoniorum fidem: *& ad teſtimonia: qvibus* Lux veritatis *adſiſtit: l.* ob carmen *21. §. fin.* Teſtib. *Sic* Ulpianus: *Etſi* pleriq; (*Communis opinionis Patroni*) negent: *tamen* propter æquitatem Marcelli ſententia *eſt admittenda: l. 5. §. pen.* Inpenſ. dotal. *Et iterum* Ulpianus: *Qvæſitum an frumentum &c. inſtrumento cederet? Et* plurimis *(communi opinioni)* non placet. *Sed* ego puto *contineri: & ita* Servium *reſpondisſe referunt avditores ipſius l.* qvæſitum 12. Inſtr. legat. *Sic* Imp. *idem* Juſtinianus *l. 10. C. Condict. indebit:* Sententiam duorum, Juliani & Papiniani, *præfert* trium: Marcelli, Celſi, & Ulpiani. *Simile qvid adparet in l. Divi. 17. Jur. Patronat.* (d) *Qvamvis enim* Conſvetudinis uſusq; longævi *non vilis* avctoritas *ſit:* non uſq; adeo tamen ſui valitura eſt momento *hoc eſt, interprete* Donello *ſuo pondere: ut* Rationem *vincat: l. 2. C. qvæ ſit long. conſ. Qvod enim* non ratione introductum eſt: *ſed* errore primum: *deinde* conſvetudine *(addo communi opinione) obtentum eſt:* in aliis ſimilibus non obtinet: *qvia ne lex qvidem ſcripta* rationem naturalem, *qvæ præſcribit: qvod juſtum ſit, & æqvum,* vincere poteſt: *teſte* Donello, *Com. lib. 1. c. 10. Qvo non inepte referri poteſt: qvod Div.* Cyprianus in

ſuo præcepit ſtudio: Non hominis ſeqvi conſvetudinem *oportet: ſed* Dei,*(addo* juris *&* æqvi)veritatem: *cum* Conſvetudo, *qvæ* veritate *(ratione) nulla nititur:* aliud nihil ſit: *qvam* vetuſtus error. (e) *Etſi enim* Communis Opinio Doctorum *probabilem Avctoritatis vim habeat: à qva temere non ſit recedendum: Si tamen alia*, non Communis *qvidem: ſed propius* ad legum textus, & veritatem *accedens*, melioribus, *& firmioribus fulta ſit* æqvi boniq; rationibus: *hanc amplecti debemus: ut multis probat* Zangerus *Except. p. 2. c. 1. n. 346.* Communis enim Opinionis, legum textibus deſtitutæ, ratio nulla eſt habenda; *etſi vel Imperator ipſemet in eadem esſet ſententia: ſi ſit alia* melioribus fulta rationibus: *qvam*, illa communi relicta, *ſeqvi debemus: inqvit Magnus ille Germanos inter JCtus Hartmannus Piſtorius l. 1. q. 30. n. 24. Et q. 24. n. 37. Id. lib. 2. q. 41. n. 35. q. 50. n. 47. & Facbin. contr. l. 6. c. 44. verſ. cur autem. cum qvo facit Pontifex Clemens III. qvando inter plures opiniones illam in decidendo ſeqvitur:* qvæ meliori & ſubtiliori nititur ratione: *c. Capellanus 4. X. Feriis.* *Qvod intelligendum* de ſubtilitate, veritatis inveſtigativa. *Non igitur debet haberi reſpectus, ad qvalitatem perſonæ, illam opinionem foventis, ſed* ad rationem, qva nititur: *qvæ ſi notoriè ſit mala: vel rationabiliter convinci poteſt: qvod acutisſimi ingenii judex æſtimabit: ſeqvenda non eſt opinio talis: Abb. ad hoc cap. n. 3. 5. Nam in dijudicando,* qvænam opinio ſit communis: *non nomina commentatorum ſunt numeranda: ſed potius qvæ ſit ſingulorum* avctoritas: & qvibus nitatur rationibus, *recto judicio expendendum:* & neglecta caterva eorum, qvi rapidi inſtar fluminis, in qvasvis, tantum non abſurdas, opiniones prolabuntur: illa opinio pro communi reputanda eſt: qvæ melioribus rationibus eſt ſubfulta: *teſte eodem, d. l. 2. q. 15. n. 50. maxime, ſi communi illi,* Juris divini, & rationis ſanioris decreta *obluctentur: teſte eod. d. l. 2. q. 5. n. 13. Cum igitur hæc* Retortionis *doctrina* Juri divino: ſanæ rationi: & LL. præſcripto, *tam ſit inviſa: tam iniqva: tam perniciosa:* dolendum profecto eſt, *ut cum eodem Dn.* Piſtorio *qviritem!* tam magnam commentatorum catervam, tam inconſiderate in illam opinionem fuiſſe prolapſam: &, *ut idem pavllo poſt*, multo magis deplorandum eſt! ad eam miſeriam redactam eſſe ſanctam juris

Digitized by Google

juris noſtri Prudentiam: ut piaculi inſtar eſſe ſoleat, ab eo recedere, qvod majjori parti perverſo placuit judicio: quantumvis ſit injuſtum & iniqvum! Qvanto *igitur rectius judicant illi, qvibus perſuaſum eſt*: non tam ſententiæ, qvæ multos habet ſubfragatores: qvam illi, qvæ firmioribus rationibus eſt fulta, adſtipulandũ eſſe: *ut vult idem* Piſtorius *d. q. 36. n. 30.* tanto Chriſtianis Juris-Conſultis *indigniora ſunt illa, ſi Diis placet, axiomata, ex maligni procul dubio Genii faucibus eructata: nec ſine horrore à bonæ fidei auribus exaudienda*: Hæc qvidem opinio in ſcholis & theoria verior eſt, & æqvior: & majjoribus fulta rationibus: Sed illa communior: à qua in praxi, foro, & judicio non eſt recedendum &c. *Ergo Juris Conſulti noſtri* in foro *&* judicio, *ubi* veritatis, æqvitatis, *&* juſtitiæ, *qvam maxime obſervantisſimi debebant eſſe, non judicant ſecundum* veritatem, æqvitatem, *&* juſtitiam: *ſed ſecundum* communem opinionem: *Qvaſi vero* veritas theorica in Scholis, *ut illi loqvuntur, ſit* alia: *qvam qvæ in* foro, & praxi recepta? *Cùm* veritas non niſi ſit una & eadem utrobiq;: *ut oſtendi ante aliqvot annos in publica Diſputatione de* veritatis unica natura. *Ex qvo Principio dimanat*: *ut*, qvod in theoria verum & juſtum eſt: id in praxi & foro etiam ſit obſervandum: Et ſi qvid in praxi & foro obrepſerit ex communi errore à theorica juſtitia, & æqvitate alienum ut id ex praxi & foro ſit penitus exterminandum: *juxta rectisſimum Baldi effatum:* Qvod in lege non cavetur: in praxi non habetur. *Sunt enim* theoria, *&* praxis: *vel* ars, *&* uſus æqviparata: *qvorum alterum altero nec latius ſit, nec anguſtius: ut qvantum eſt in uno: tantum ſit etjam in altero. Ex qvo conſeqvens & hoc:* ut, qvod in theoria eſt verum, juſtum, & æqvum: id in praxi non posſit eſſe falſum, injuſtum, vel iniqvum: *Et contra*: ut qvod in praxi verum, juſtum & æqvum cenſetur, & habetur: id niſi ad veritatem, juſtitiam & æqvitatem theoricam examinatum probetur, pro vero, juſto, & æqvo non ſit, ne qvidem in praxi, habendum. *cum inter* Artem, *&* Uſum: Theoriam *&* Praxin *oporteat eſſe συμμετρίαν, & ἰσοστασίαν. ſive æquilibrium, per omnia æquiparatum.*

(f.) *Ipſa etjam SS. Scriptura ex præſcripto Juſtisſimi omnium Judicis Jehovæ, Exod. 23. v. 2. cavente*; ne inſiſtemus veſtigiis poten-

tentiorum ad mala: neq; loqvamur de lite, declinando poſt potentiores (*ad communes plurimum opiniones*) ad pervertendam eam. *Qvod ita reddidit. Dn.* Lutherus. **Du ſolt nicht folgen der Menge zum böſen: vnd nicht antworten für Gerichte: Das du der Menge nach vom Rechten weicheſt.**

(g) *Sed obſtabit aliqvis: eſſe inter Dd. adlegatos magni judicii viros: qvi à vero probabiliter non aberrarint. Cui reſponſum hoc volo: qvod* pleriq; ex commentario ſapuerint, *& ab exemplari aliorum pependerint: adeoq; toties ad Magiſtros reſpexerint ſuos: qvod in Sene, avt ſenectutem proſpiciente turpe cenſet* Seneca: *qvorum præjudicia ſunt, ſine judicio veritatis ulterius inqvirendæ, ſecuti: id qvod improbat Idem ep. 33. circa finem.* Nunqvam enim invenietur (*veritas exqviſita*) ſi contentus fueris inventis (*aliorum opinionibus.*) Qui enim alium ſeqvitur: nihil invenit: immo nec qværit: ſed ſine judicio ſeqvitur aliorum veſtigia. Aſt hæc (*in inqvirendo qvid æqvum: bonum: juſtum:*) tritiſſima qvæq; (*opinionum communium*) & celeberrima (*ut idem Seneca in libro de vita beata c. 1. diſſerit*) maximè decipit: & nulla res nos majjoribus malis implicat: qvam qvod ad rumorem (*communes opiniones*) componimur: optima rati ea: quæ magno adſenſu (*communium opinionum*) recepta ſunt: nec ad rationem: ſed ad ſimilitudinem (*communem opinionem*) vivimus. Unde iſta tanta coacervatio aliorum (*opinioniſtarum, ut ita loqui liceat*) ſupra alios ruentium: cum nemo ita cadat. ut non alios attrahat: ut primi exitio ſint ſeqventibus: & dum unusqvisq; mavult credere: qvam judicare: nunqvam de vita (*communis opinionis veritate*) judicatur: ſemper creditur: verſatq; nos, & præcipitat traditus per manus error (*communis opinio:*) alienisq; perimus exemplis. Sanabimur, ſi modo a cœtu (*communi opinione*) ſeparemur. Nunc vero ſtat contra Rationem Defenſor mali ſui (*communium opinionum*) populus (*Doctorum vulgus.*) Eadem (*qva communis opinio*) probamus: eadem reprehendimus: Hic exitus eſt omnis judicii: in qvo lis ſecundum plures (*communes opiniones*) datur. *Neq; verò eſt: qvod mihi illud diſceſſionum more reſpondeas*: Hæc pars Majjor eſſe videtur, Ideo enim pejjor eſt. Non tam bene cum rebus huma-

nis

nis agitur: ut meliora pluribus placeant. Argumentum peſſimi turba (*communis opinio*) eſt. *Qværamus:* qvid optimè factum ſit: non qvid uſitatiſſimum: non qvid vulgo, veritatis peſſimo interpreti (*communi opinioni*) ſit probatum. *Hactenus* Seneca *ille ſapientiſſimus: vivis, communes opiniones, & Opinioniſtas, coloribus graphice depingens. Cui ſubjungere lubet Rethorem Clariſſimum M. Fab. Qvintilianum qvi lib. 10. Inſt. Orat. c. 1. ſic reſpondet ad ſuperius objectum:* Neq; id ſtatim legenti perſvaſum ſit: omnia qvæ magni avctores dixerunt, utiq; eſſe perfecta: Nam & labuntur aliqvando: & oneri cedunt: & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati: nec ſemper intendunt animos: & nonnunqvam fatigantur: Cùm Ciceroni dormitare interim Demoſthenes: Horatio vel etjam Homerus ipſe videatur. Summi qvidem ſunt homines: homines tamen: acciditq; his, qvi qvicqvid apud illos repererunt dicendi (*juris & æqvi*) Legem putant: ut deteriora imitentur. *Qvod tamen* modeſte, & circumſpecto judicio *de tantis viris pronunciandum eſt: ne ſine diſcrimine, qvæ non intellecta, damnentur: cum alias in dubio, & obſcuro: ſi neceſſe ſit, errare in alteram partem: potius omnia placere legentibus: quam multa diſplicere debeant.*

XXI.

Qvantum avtem adtinet ad hanc Doctorum in *Retortionis* favorem ſupra (*a*) adlegatorum catervam: qvia non ſunt illi omnes ejjusdem ſententiæ: cum alii plus: alii minus *Retortionis* doctrinæ tribuant: de his in ſpecialibus, de hac Retortione præceptis traditis, (*b*) aliqvid in ſpecie dicendi obcaſio dabitur: (*c*) unde de reliqvis (*d*) in qvibus conſentiunt pleriq;, qvid ſtatuendum ſit, ex jam dictis, & poſtea dicendis adparebit.

(*a*) *part. 1. th. 5* (*b*) *qvæ ſunt in prima parte breviter congeſta.* (*c*) *potiſſimum infra in hujjus partis th. 52.* (*d*) *omnium enim opiniones, per longos circuitus in hanc diſputationem contrahendos, in ſpecie enumerare, & coargruere, non eſt animus: & nimis longum foret.*

XXII.

Sublatis igitur hujjus ædificii male compilati fundamentis; in ruderibus funditus deſtruendis ero brevior? Neque de quæſtione: (*a*) *Ecqvid ſtatuto posſit inhiberi Retortio*, plura dicam: qvam qvod illam arbitrer ſuperfluam: cum *Retortio*, ut nullo ſubfulta jure, (*b*) non tantùm ſtatuto per omnia tolli posſit: ſed ut res mali, immo pesſimi exempli, merito ex Reip. Chriſtianæ choro eliminari (*c*) debeat.

(*a*) *In qva reſolvenda ſudat* Harprecht. *d. loco n. 108 & vix eſt, ut ſe expedire qveat, hoc conſtrictus nodo: qvod* juri *illam* naturali *adſcribtam putat: qvod ſecus ſe habere ſuo dictum loco.* (*b*) *Niſi forte belluino, in mutua vindicta locato: verum qvod repudiat non tantum* SS. Scribtura: *ſed etjam* naturalis ratio: *ut ex ſubſeqventibus adparebit.* (*c*) *qvod ut fiat: maxime conſultum esſe cenſet* Beſold. *Diſp. 1. de injur. th. 18.*

XXIII.

Neq; repugnarem adſertioni huic: *qvod omnibus aeqve jure esſet retorqvendi facultas concesſa:* (*a*) Si id, cui ſuperſtruitur hæc, de *necesſaria defenſione* principium verum esſet. Cum avtem nunqvam, & nusqvam probatum dari posſit: qvod hæc Retortio ſit *Defenſionis neceſſariæ* a natura concesſæ ſpecies: (*b*) conlabuntur omnia: qvæ ſunt illi ſuperſtructa. Si avtem ſtaret hoc: valde ambigerem: qvo jure *Patri*, & *Marito* (*c*) nomine *Filii*, & *uxoris*: item *Bannito* (*d*) *Retortio* denegari posſet.

(*a*) *Qvam Harprecht. n. 120. ſtatuit, expoſitam ſupra th. 7. part. 1.* (*b*) *ut conſtat ex illis, qvæ ſupra p. 12. theſi 16. cum ſeqq. & p. 3. theſi 13. 14. 15. 18. & 19. ſunt diſputata.* (*c*) *Si enim injuriam*

patitur

patitur Pater *per Filium :* Maritus *per Uxorem · ut conſtat ex* §. *Patitur. J. de injur. & ſi utriqve, non tantum proprio : ſed & filii, & uxoris nomine, conceditur actio : ut* Harprecht *ipſemet fatetur n.* 137. *qvid obſtaret, qvo minus etjam uterqve hanc injuriam filio, vel uxori oblatam, qvam per illos pateretur, ipſorum ſimul, & ſuo nomine poſſet repellere ? & qvomodo hanc injuriam utervis poſſet a ſe retorqvere : ut non ſimul etjam ab illis retorqveretur : per qvos injuriam pateretur : cum propriè loqvendo, illi* principaliter*: hi vero duntaxat* per conſeqvens, *illorum cavſſa, injuria adfecti intelligantur? qvod probat Beſoldus diſput. 2. injur. theſ. 6. Nihil enim omnino facit ad rem : qvod ex L. Si qvis 43. Verb. obl. prætenditur : utpote aprosdionyſon. Multò minus, qvod* de juramento purgationis *adfertur : Cum* Retortio *non ſit juramentum. Ne dicam : qvod, hoc ipſum etjam præſtari per Procuratorem poſſe, non ſit a jure alienum : ut patet ex Ordin. Camer. Imp. part. 2. tit. 10.* Vnnd ſol in ſolchen *&c. Setſer. de jurejur. lib. 3. c. 11 n. 41. Neqve verò qvod* Retortio ſit purgatio innocentiæ , *& exiſtimationis ex d. l.* qvæ omnia *probari poteſt : Cum Procurator qvi* Dominum mentiri *dixerat : non per illud* mentiri, *pudorem ſuum, ut vulgo perperam docent,* purgarit: *ſed* coram Prætore *primum , actione injuriarum contra Dominum movenda , judicaliter innocentiam* purgare *debuerit : ut ſupra theſ. 17. hac p. 3. dictum. Qvam enim hic elabendi rimam qværit : qvaſi actio injuriarum non* principaliter ad purgandam *innocentiam : ſed* ad pœnam *læſo inferendam tendat : illam ſibimetipſi Harprechtus pavllo poſt n. 145. obſtruit : qvando dicit :* qvod injuriæ vindicatio judicialis plus ad honoris purgationem faciat: qvam extrajudicialis Retortio. *Idqve certam rationem habet. Qvia pœna injuriam inferenti a Judice inflicta, innocentiam injuria adfecti præſubponit : & ideo,* qvod innocentis exiſtimationem, qvantum in ſe, læſerit, *pœnam infligit. Unde formula in ſententia injuriarum ad pœnam condemnatoria hanc clavſulam præmittit :* Daß *Titius* an dem / daß er *Sempronium (hoc vel illo modo)* an ſeinen Ehren geſcholten / zu viel vnnd vnrecht gethan *&c. Et ſi Procurator ex mandato Domini ſui poteſt retorqvere injuriam Domino inlatam : non obſtante illa ra-*

 tione;

tione: qvam Harprechtus *n. 137. adfert:* qvod purgatio ſit declaratio ab animo ipſius, cui injuria facta, proficiſcens: qvæ expediri, niſi per eum ipſum, qvi criminis inſimulatus, non poſſit: *Qvid cavſſæ: cur obſtet hæc patri vel Marito: qvo minus vi mandati ex poteſtatis Patriæ, vel Maritalis jure præſumti, qvod longe efficacius eſt illo vulgari, ſuorum injurias retorqvendo non potuerit purgaſſe?* (*d*) *Si enim Retortio eſt innocentiæ purgatio, & defenſio* jure naturali *conceſſa: qvæ ne qvidem Diabolo, ut vulgus loqvitur, denegari debet:* Harprecht: *n. 125. & 137 qvo illa jure Bannito, ſi falſi criminis ipſi convicium objiceretur, denegabitur? niſi qvis illum Diabolo pejjorem avtumare velit: qvod abſurdum mihi: Verum qvia* nemini Retortionem *hanc arbitror conceſſam: non difficulter id mihi*, qvod ne qvidem *his concedi debeat, perſvaſum dabitur.*

XXIV.

Ex qvibus avtem cavſſis (*a*) *Retortionem nemini* conceſſam puto: ex eisdem non tantum *filio*, *Diſcipulo*, & *ſubdito*, adverſus *patrem*, *præceptorem*, *Magiſtrum*: ſed etiam *Vaſallo* (*b*) contra *Dominum fevdi*: immo *cuivis alii contra qvemvis* illam conpetere non poſſe conſtat.

(*a*) *De qvibus ſupra per totam par. 2. dictum.* (*b*) *Si enim hoc generale eſt: qvod contra hos nemini retorqvere liceat: qvibus eſt ad reverentiam obſtrictus: ut inqvit* Harprechtus *n. 168. Idem in Vaſallo obtinebit: qvi Domino fevdi reverentiam, & qvidem jurato debitam exhibere debet. Nec obſtat: qvod Vaſallus vim à Domino ſibi inlatam vi repellere qveat: ut idem n. 178 probat: cum hoc caſu Vaſallum* neceſſitas defenſionis *excuſet: quæ in injuria verbis inlata deprehenditur omnino nulla: ut ſupra probatum pluribus p. 2. th. 20. Ita ut ceſſante cauſſa ceſſet effectus non immerito.*

XXV.

Qvod *materia circa qvam Retortio* verſatur, ad convicium tantùm *falsò inpactum* reſtringi debeat: non diffi-

difficulter largior. Sed hac poſita: modum hunc ſe contra *injurias verbales* defendendi, non tantùm non eſſe generalem: utpote ad certam convicii ſpeciem; nimirum illam, qvæ *falſum dumtaxat* objectat *crimen*, vel *nævum* coarctandum: ſed etiam hoc, qvod convicium, ſi verum ſit, impune poſſit, & licite in qvosvis jactari, qvod tamen claris repugnat legibus (*a*) pateſcit. Qvid ſi igitur à nævo, qvi revera inſit, (*b*) contumeliam qvis viro, alioqvi bono, intorqveat? *Retorqvere nefas?* (*c*) Ergo hactenus contra contumeliam hujusmodi vir bonus relinqvitur indefenſus: qvod durum (*d*) ſatis! Sed ita *Lex Retortionis eſt Scribta.* (*e*) Scilicet.

(*a*) *Nam ſi macula vel delictum verum per convicium exprobratum ſit animo injuriandi, id impunè ferre conviciator non debet: etjamſi id probare vellet: per L. ſi non convicii. 5. C. inj. nov. 77. l. 3. C. off. rect. prov. Minſ. cent. 4. obſ. 4. Cov. 1. reſol. 11. n. 6. Veſ. parat. D. de injur. n. 8.* (*b*) *Exempli cavſſa: Pavpertas: natalium defectus: conditio vitæ vilior: mutilatio membrorum, clavdicatio, cæcitas, balbuties, deformitas, ſenectus, ætas juvenilis &c.* (*c*) *Etjamſi contumeliæ inferendæ cavſſa viro bono honorum aliqvid ſit objectum. Harp. d. loc. n. 162.* (*d*) *Immo juri, ut ipſi adverſarii volunt, naturali adverſum, & ſi iniqviſſimum.* (*e*) *ut ad hujjus generis contumelias contra bonos alioqvi viros hactenus, qvibus in fece vulgi nihil eſt freqventius, impune deſcendere cuivis ſcurræ liceat.*

XXVI.

In forma Retortionis vulgo coacervantur à variis varia: (*a*) in qvibus cum cardo totius hujjus controverſiæ verſetur: qvomodo hæc omnia, & ſibimetipſis; & aliis conſtent, pavllo preſſius eſt excutiendum. *Verbis* Retortionem fieri debere, *ſi fieri poſſit*, placet: (*b*) Et qvidem *ore inter præſentes prolatis.* Qvibus avtem *verbis*: & *qvomodo?* hoc opus: hic labor eſt. ut explanari ex Legum præſcribto poſſit!

(a) Ut fieri conſvevit: qvando a principiis juris extra oleas Dd. divagari, ſine lege ſolent: cum dato uno inconvenienti ſeqvantur infinita. *Ut enim* in itineribus, cum à recta via deerratum eſt, pavllatim longius diſceditur: *ita Dd. noſtri a principiis juris & legum præceptis exorbitantes, errores erroribus adcumulant: ut recte monet Dn. Phil. Mel. Dial. l. 3. de reg. conſeq. reg. 17.* Omnia *enim ſunt incerta: ubi a jure diſceſſum eſt:* Cicerone *lib. 9. Epiſt. fam. ad Papir. Pætum teſte. (b) Diſplicet avtem, qvod excipitur vulgo de* Nobili*: cui pro objecto mendacio liceat homini plebejjo colaphum impingere:* ut *eum* ab ulterius injuriando posſit abſterrere. *Qvæ cum inepta ſit ratio: qvod experientia teſte, per hanc violentiam magis irritentur ad ulterius, & atrocius conviciandum, qvi tali ſunt repulſi modo: Et qvod ex L. item apud 15. §. Unde 39. profertur, & de ſalvo honore agit: & de convicio nullo: miror qva fronte Dd. hujjus generis, hominum vulgarium (* vere *enim* Nobiles *excipio) alias a natura, & moribus in viliores plerumq; ferocium vindictæ cupiditatem, a qva potius avocandi fuerant, armare potuerint! Pro qvo qvod* Gailius *l. 2. obſ. 100. n. 7. a* Berlichio *p. 5. concl. 64. n. 30. citatus, dicit: nihil movet: cum ibi de* reali *loqvatur injuria: & qvidem ex aliorum Dd. ſententia: qvos* magis politice*: qvam* Chriſtiane *de hac materia diſputaſſe fatetur ipſemet. Non modo igitur* duriuſcula eſt *hæc exceptio: ut fateri* Harp. *n. 193. cogitur: ſed penitus injuſta. Et ſi* Chriſtianum *non eſt; qvod Dd. vulgo pro hac ſævitia* Nobilium *contra Ruſticos excuſanda diſputant: ne qvidem* Politicum *id erit: Sed penitus* inhumanum & injuſtum*: cum* qvod Chriſtiane verum, bonum, juſtum & æqvum non eſt: *id* nec politice *videri tale posſit.* Qvia veritas eſt unica & ſimplex: *cui ſi patrocinium* SS. Scribturæ *præbeat:* Politica *non poteſt obloqvi diſciplina.*

XXVII.

Et ſane diffiteri nec posſum: nec volo: fuiſſe qvandam olim, & ab omnibus retro ſeculis, in hoc uſqve tempus uſu receptam *verborum Retaliationem*: qva qvis, qvod in ſe falſius, acerbius, immodeſtius, addo etjam in-

injurioſius dictum erat, in *Auctorem ſuum retorſit*: qvæ etjam non caret multis, non tantum e vulgi opinione petitis; ſive dictis: *(a)* ſive factis: ſed Magnorum etjam virorum exemplis: *(b)* qvamvis illorum ferme nulla noverim a Doctoribus noſtris, pro ſuo dogmate fulciendo, producta.

(a) Hinc enim profluxere: qvæ ſunt apud Poetas, inprimis avtem Comicos, e trivio petita. Cujjusmodi eſt hoc Homericum *ex Iliad. 20.* ὁπποῖον δ' εἴπησθα ἔπος: τοῖον κ' ἐπακούσαις: *h. e.* Qvalem protuleris ſermonem: talem avdies. Et Heſiodicum *hoc*:

εἰ δὲ κακὸν τ' εἴποις: τάχα κ' αὐτὸς μεῖζον ἀκούσαις:

h.e. Si mali qvidpiam dixeris: avdies longe pejjora.

Cui conſonat hoc Sophoclem *citante* Plutarcho:

φιλεῖ γὰρ γλῶσσαι ἐκχέας μάτην
Ἄκων ἀκούειν: οὓς ἑκὼν εἴπῃ κακῶς: *b e.*

Qvi multa temere effudit: is ſolet nolens avdire: qvæ volens male dixit: *Qvod ita reſtringit* Evripides: εἰ δ' ἡμᾶς κακῶς ἐρεῖς: ἀκούσῃ πολλά: κ' οὐ ψευδῆ κακά: *h. e.* ſi nobis male dixeris: avdies multa: nec illa falſa mala. *Cujjus ſenſus illud eſt* Terrentianum *in Andria*:

Si mihi, pergit, qvæ vult, dicere: qvæ non vult, avdiet.

Et Plavtinum.

Contumeliam ſi dices: avdies.

Qvod expresſit eodem modo Cecilius *apud Agellium*:

Aud bis male: ſi maledices mihi.

Cujjus etiam non puduit Div. Hieronymum *in Ruffin.* Nihil, *inqvit*, ſuper hoc avdies, niſi illud è trivio: Cum dixeris qvæ vis, qvæ non vis, avdies. *Qvo ſpectat illud ejjusdem*: tuis te coloribus depingam. *Et verſiculus, qvem* Qvinctilianus *ſuo tempore vulgo jactatum dicit*:

Non male reſpondit: male enim prior ille rogarat.

Item illud Horatii *lib. 2. Sat. 3.*

Dixerit inſanum qvis me: totidem avdiet. —

Et

Et ejjusdem Hieronymi *ad* Avguſtinum. Si aliqvid ad defenſionem meam ſcribſero: ſit in te culpa, qvi me provocaſti: non in me, qvi tibi reſpondere conpulſus ſum. *Item*: Non ego tibi: ſed cavſſa cavſſæ reſpondet: etſi culpa eſt reſpondisſe: qvæſo ut patienter avdies: multo majjus eſt provocasſe. *Ex qvo idem* Terrentius *hanc eodem loco cavtelam ſubdit*: Ut oſores deſinant maledicere: malefacta ne noſcant ſua, *cum alias ut* Idem *in prol.* Phormionis *dicit*:

Benedictis ſi certasſent, avdisſent bene.

Adde qvæ recenſet Speculator *l. 1.* de advoc. §. *jam nunc.. n. 5. Non enim* meruit honorem: qvi non honoravit: Cur te habeam in Principem: cum me non habeas in Senatorem. Martialis.

Deridens alios, non inderiſus abibit.

Seneca: Ab alio exſpecta: qvod alii feceris. *Item*: Patere legem qvam ipſe tuleris. *Unde verſus.*

Legem qvam tuleris, de jure tenere teneris;
Si bene pertuleris, jure peritus eris.

Hujjus farinæ hæc noſtratia in vernacula lingva: **Gut gruß/ gut antwort.** *Item*: **Wie man in den Wald ſchreyet/ ſo ſchallet es heraus.** (*b*) *Ex multis pavca*: Chryſippus *referente* Max: *ex Anton. Serm. 10 de vituperio, ab improbo multis conviciis proſcisſus, ſic regesſit illa*: Optime feciſti: qvod nihil eorum quæ in te ſunt, prætericris. *Qvod etjam* Chabriæ *cuidam adſcribitur ab* Anton. *in Sermon. de contumelia. Cui congruit hoc qvod vulgo tritum*: Ex tuo alios æſtimas ingenio. Anacharſis *civi Attico cuidam malæ famæ, qvod in* Scythia *natus esſet ſibi exprobranti, teſte* Laertio *lib. 1. c. 6. reſpondit*: mihi probro eſt patria; tu patriæ. *Videlicet, melioris ſe conditionis exiſtimans*: *qvod ex* mala patria vir bonus: *qvam* ex bona malus civis *eſſet oriundus.* Antagoras *Poeta congrum in caſtris coqvens, cum ab* Antigono *rege interveniente his verbis esſet reprehenſus*: Scilicet Homerus res geſtas Agamemnonis ſcribens, in tentorio congrum coxit: *reſpondit*: Nimirum Agamemnon, cum illas res gereret, ſi qvis in exercitu congrum coqveret, fuit, *ſicut tu*, curioſus: *qvod refert in apoph.* Plutarchus: *Qvibus verbis Poeta peccatum in re, qvæ ſui non esſet officii procuranda, ſibi exprobra-*

bratum, in exprobrantem argute retorſit. Diogenem *olera lavantem pro cibo capiendo, cum* Ariſtippus *ſic interpellaſſet:* Si Diogenes ſciret uti regibus: non veſceretur crudis oleribus: *refert* Laert. *lib. 2. c. 8. ſic reſpondiſſe*: Si Ariſtippus didicisſet eſſe contentus oleribus: non eſſet jam canis regius: *h. e. cibi ex avla petendi gratia non adularetur* Dionyſio *Regi. Idem qvendam multis ſceleribus obnoxium ſibi pavpertatem objicientem ſic a ſe repulit*, Eras. *lib. 3. apopb. avctore:* Ob egeſtatem neminem torqveri vidi: ſed ob ſcelera patrata plurimos. *Idem* Platoni *in acroaſi, qvod non attente avſcultaret, ſe* canem *proclamanti, reſpondit*: nunqvam eo ſum reverſus: unde veni: ut canes ſolent. *Qvod refert* Ælian. *lib. 14. cum tecte ipſius in* Siciliam *abitum: & re bene non ſubcedente* Athenas *reditum non ſatis honorificum taxaret. Idem falſa moneta criminis inſimulatus a qvoqvam, regesſit hoc:* fateor me qvondam fuiſſe talem: qvalis tu nunc es. Qvalis avtem ego nunc ſum: tu nunqvam es futurus. Laert. *lib. 6. referente: qvi & hoc ibidem de Diogene refert: Qvod a Lyſia, qvi illum atheon esſe rebatur, interrogatus*: crederetne Deos esſe*: ſic inſit*: Qvi convenit, ut non credam: cum perſvaſum mihi ſit: te Diis inviſum esſe. *Sic* Telonæ *cuidam in judicio excandeſcenti, & dicenti:* Define in me latrare: Nicetas Smyrneus *reſpondit*: Si tu me defines mordere: *teſte Philoſtr. in Sophiſt. Cum qvo congruit, qvod de* Catulo, (*cui qvarenti*, qvid latraret: Philippus *orator reſpondit:* qvia furem video) *refert Bruſon. l. 2. c. 40.* Stilpo, *cum ſibi dixisſet aliqvis: qvod omnes ipſum, ut beluam mirarentur: hoc retulit, avctore* Laert. *l. 2. c. 12.* Neqvaqvam: ſed ut verum hominem admirantur me beſtiæ. *Cum* Demoſthenes Phocionem *minis terruisſet, qvod* Athenienſes *ipſum, ſi inſanire inciperent, occiſuri esſent: hic teſtante* Plut. *in apopb. ſic reſpondit*: me qvidem ſi inſanire cæperint: ſed te, ſi ad ſanā mentem reverſi fuerint, occident. *Qvo tecte ipſius conſilia carpſit, ad plavſum vulgi: Non Reip. uſum adplicata. Sic* Herodes *Sophiſta* Proteo Cynico *ſibi ſemper maledicenti reſpondit:* conſentimus ambo: tu qvidem male loqvens: ego male avdiens: Philoſtrato *teſtante.* Socratem *acrius in convivio objurgantem qvempiam, cum* Plato *redarguisſet: qvod ſatius fuisſet: ſi hac ipſi fuisſent ſeorſim dicta regesſit ille;* an non tu

N etjam

etjam recte feciſſes, ſi hoc in me ſeorſim carpſiſſes: *qvod Eraſ. lib. 3. apopb. ex Plutarcho profert.* Pavſanias *e patria profugus cum* Tegeæ *degens lavdaſſet* Spartanos *cuidam* Tegeati, *cur non apud illos manſiſſet, exprobranti, hanc cavſſam, teſte* Plut. *in Lac. retulit:* qvia Medici non cum ſanis, ſed cum ægrotis converſari ſolent: *Qvo innuit: Qvod Tegeatum corrupti mores* Spartanorum *indigerent diſciplina.* Adimantus *abhorrens a navali pugna, Themiſtoclem ſuos ad pugnandum fortiter hortantem, ſic increpavit:* noſtin' eos, qvi in certaminibus ante alios proſiliunt, flagris cædendos? *Cui regeſſit hoc ille:* Sic eſt: ſed nec eos, qvi ſe ſubducunt, coronat qvispiam. Plut. *in* Themiſt. *Cui ſimile, qvod idem in apoph. narrat.* de C. Mario *in expeditione bellica, donec rei gerendæ anſam captaret, foſſa cincto: qvi a* Popedio: *qvod magnus Imperat: non deſcenderet in conflictum timiditatis argutus, ſic retorſit, qvod objectum erat:* Immo tu, ſi magnus Imperator, coge me invitum ad certandum tecum. *Non eſt diſſimile, qvod legitur in hiſtoria* Belgica Meterani *lib. 16. in deſcribtione obſidionis ad Gertrudis montem, de Tubicine Dn.* Mavritii Principis Uranii: *qvi miſſus in caſtra D.* Petri Erneſti Comitis Mansfeldii, *qvi nomine regis* Hiſpaniæ *ſubſidio venerat obſeſſis, cũ interrogaretur a* Dn. Mansfeldio: *cur ſuus* Princeps Mavritius *foſſis incluſus ſe contineret: cur non, qvod alacrem, & juvenem, & gloriæ cupidum militem deceret, in aciem prodiret: reſpondit:* Se qvidem ſui Principis conſiliorum non eſſe conſcium: putare tamen: hoc ipſum eſſe animo: qvod & ipſe cuperet Miles ad ejjusmodi grandævam ætatem pervenire: qva Dn. Comes conſpicuus eſſet. *Qvo reſponſo, ab adſtantibus riſu excepto, tecte redarguit* Comitem Mansfeldium: *ſi ipſe juvenis ſe ſæpius commiſiſſet temere aciei: qvod ad octogenariam ætatem non pervenisſet. Sic.* Q. Opimius *Conſularis qvi adoleſcens libidinis cavſſa male avdierat ab Ægilio, cui mollitiem his verbis exprobrarat:* Qvando ad me venies Ægilia mea, cum lana & colu: *his verbis eſt exceptus:* Non avſim: nam me ad famoſas ædes mater accedere vetuit: Eraſ. *lib. 6. apoph. Scitum, qvod* Caſſius *poſt interfectum* Julium Cæſarem Antonio *ſciſcitanti:* anne pugionem ſub axilla gereret: *reſpondit:* certe longe maximũ: ſi tu qvoq; adfectabis regnum: Xiphil, *in Julio. teſtante. Sed longe*

argu-

argutiſſimum reſponſum : qvod Cæſari Avguſto *qviſpiam adoleſcens Ægyptius illius faciem exacte referens, qværenti :* materne ſuæ Romæ aliqvando degiſſet, *dedit hunc in modum:* nunqvam hoc accidit: ſed Pater meus non ſemel Romæ fuit. *Qvod 4 apoph ex Svetonio refert* Eraſmus. *Cum enim* Avguſtus *jocoſe vellet matrem hujus adulterii inſimulare: hic illud argute retorſit crimen in Cæſaris matrem.*

XXIIX.

Verum qvidqvid id ſit: qvod in hanc rem proferri qveat. hoc eſt, & qvidem in *Chriſtiana ſchola* contra ſtatuendum: qvod illa, & id genus alia Poetarum Comicorum & aliorum dicta non ſint γνῶμαι: (*a*) ſed χρεῖαι: (*b*) qvarum *illæ* ſunt in id: *qvid fieri debeat: hæ* vero, qvid vulgo *fieri ſoleat*, conceptæ. Et qvod hæ ſupra adlegatæ parœmiæ, cum ſint ex vulgi fece petitæ; meram ſapientes *ex avctoritate propria vindictam*, non tantum jure *Divino* · ſed etjam humano prohibitam, neqvaqvam debeant nos commovere: ſed Sanctiſſima SS. *Scripturæ* monita, (*c*) & prudentiſſima Philoſophorum præcepta (*d*) hujjusmodi vindictæ uſum Chriſtianis, & viris bonis interdicentia potiore loco eſſe.

(a) h. e. Regulæ & Præcepta vivendi, ad qvæ mores noſtri ſunt confirmandi (b) h. e. parœmiæ, apophtegmata, & alia ex uſu cottidiano de rebus communiter adcidentibus dicteria concepta. De qvibus inter Sapientes clarus Chilon Philoſophus Lacedæmonius *cavit:* qvod nemo deberet alium conviciis laceſſere: ne ſi dicat, qvod libet, avdiat viciſſim qvæ dolent: *qvod etjam maledicendi morbus ſuam habeat voluptatem:* ſed qvæ plerumq; male avdiendi ſummo dolore penſetur. *Qvo* M. Tullius *adluſit* Saluſtio *minatus fore:* ut ſi qvam voluptatem maledicendo cepiſſet: eam male avdiendo mox amitteret: *Laert. lib. 1. c. 4. Et* M. Pinarius M. Servilio *qværenti ex ipſo: Si contra ſe dicturus eſſet, an maledicere ſibi pro more ſuo vellet, regeſſit:* ut ſementē feceris: ita & metes. *Eraſ. lib. 6. apoph. (c)*

Qvorū magna pars eſt ſupra p.2.th.5. congeſta. Qvibus addi poteſt D. Amb.*3. offic*: Sermones proferamus libra juſtitiæ examinatos: ut ſit gravitas in ſenſu: in ſermone pondus: atq; in verbis modus. Tēperantia cordis habeat munditiem: juſtitia miſericordiam: prudentia pacem: fortitudo manſvetudinem. *Et Avguſtin. lib.3. contra Petilian. c.1* ego qvando cuiq; vel dicendo, vel ſcribendo, reſpondeo, etjam contumelioſis criminationibus laceſſitus, qvantum mihi Dominus donat, frenatis ac coercitis vanæ indignationis aculeis, auditori, lectorive conſulens, non hoc ago: ut efficiar homine conviciando ſuperior: ſed erro es convincendo ſalubrior. (*d*) *Qvæ ſupra ſunt part.2.th.25. inprimis 26.28 29. & 30. una cum exemplis explanata. Qvibus addere lubet adhuc duorum inſignes admonitiones: qvorum alter* Græcorum: *alter* Latinorum *Sapientiſſimus habetur. Prior eſt* Plato *in Critone.* Οὐδαμῶς ἄρα δεῖ ἀδικεῖν: οὐδὲ ἀδικούμενον ἄρα ἀνταδικεῖν, ὡς οἱ πολλοὶ οἴονται: ἐπειδή γε οὐδαμῶς δεῖ ἀδικεῖν: οὔτε κακῶς ποιεῖν οὐδένα ἀνθρώπων: οὐδ᾽ ἂν ὁτιοῦν πάσχῃ ὑπ᾽ αὐτῶν. *h.e.* Nullo modo igitur injuriam oportet facere: ſed nec læſum iterum lædere, *ut pleriq; (Retortionis Doctores) exiſtimant*: qvia nunqvam injuria facienda: nec qvisqvam mortalium damno multandus, etſi vel ab ipſo multatus. *Poſterior eſt* Seneca *lib.1. de ira cap.32. At enim* ira habet aliqvam voluptatem: & dulce eſt dolorem reddere? *Minime.* Non enim ut in beneficiis honeſtum eſt merita meritis repenſare: ita injurias injuriis. Illic *vinci turpe eſt*: hic *vincere. Inhumanum verbum eſt*, ultio: *& a contumelia non differt*: niſi ordine. Qvi dolorem regerit: tantum excuſatius peccat. Magni animi eſt injurias deſpicere. *Ultionis contumelioſiſſimum genus eſt*: Non eſſe viſum dignum ex qvo peteretur ultio. *Multi* leves injurias altius ſibi demiſere: dum vindicant. Ille magnus & nobilis eſt: qvi more magnæ feræ latratus minutorum canum ſecurus exaudit. *Sæpe ſatius fuit* diſſimulare: qvam ulciſci. *Et cap. ſeq. Notiſſima vox eſt ejus, qvi in cultu regum conſenuerat, cum illum qvidam interrogarat: qvomodo rariſſimam rem in avla conſecutus eſſet:* Senectutem: Injurias, *inqvit*, accipiendo: *&* gratias agendo. *Sæpe adeo injuriam vindicare non expedit: ut ne fateri qvidem expediat.* Puſilli hominis &

mi-

Digitized by Google

miſeri eſt, repetere mordentem. *Et c. 24. Iraſcetur aliqvis*: tu contra beneficiis provoca: *cadit ſtatim ſimultas, ab altera parte deſerta. Si utrinq; certabitur*: ille eſt melior qvi prior pedem retulit. *Victus eſt: qvi vicit. Percuſſit te*: recede: Referiendo enim obcaſionem ſæpius feriendi dabis: & excuſationem. Non poteris revelli: cum voles. *Addatur his* Fab. Qvinctil. *11. declam.* Barbarorum mos eſt *(Ultio)* populorum: qvos procul omnis juris humani ſocietate proxima belluis natura efferavit. *Nos ideo* magiſtratus legesq; a majjoribus adcepimus: ne ſui qvisq; doloris vindex ſit, & adſiduæ ſcelerum cavſſæ ſe refellant: Si ultio crimen imitabitur.

XXIX.

Si tamen ea qvispiam ſit ingenii, & lingvæ promtitudine: ut in *Adverſarium ſuum* poſſit *pro bonoris & juris ſui* tutela, convicium in ſe (*a*) jactatum, *ſine injurioſis tamen*, extra illud, (*b*) *verbis*, *ex tempore* potisſimum *inter præſentes*, & *vere* (*c*) ſine ullo tamen vindictæ, & defenſionis judiciariæ præjudicio, (*d*) & qvantùm pote fieri, *modeſte*, (*e*) *tecte*, & *argute*, *per inverſionis argumentum* (*f*) *retorqvere*: qvod hoc ejjusmodi ſit: ut ſibi provocato ignoſci qveat (*g*) hac lege tamen: ut ſi modum forſitan excedat (*h*) pœna qvidem, ſed *mitiore* & extraordinaria (*i*) coerceri debeat.

(*a*) *Non tantum falſo: ſed etjam* vere *in retorqventem intortum.* (*b*) *Ut nihil aliud, neq; amplius retorqveatur: qvam qvod intortum erat: cum alias in exceſſu peccatum committatur: cui obnoxius eſt* Qvirinus *Sophiſta: cum in* Aſianos, *ſe lenitatis inſimulantes crudelitatem retorſit: teſte* Philoſt. *in Soph. Et* Cleomenes: *qvi ſe delitiis deditum, auctore* Plutarcho *conviciantem ita repreſſit*: qvod hoc ſatius eſſet: qvam injuſtum eſſe. *Item* Demetrius: *qvi, eodem teſte*, Lyſimachum, *ſibi meretricem ſuam* Lamiam *exprobrantem, ſic excepit*: Lamia meretrix, tua Penelope (*conjuge Lyſimachi*) longe modeſtior & moratior. *Qvo referri poteſt: qvod*

Germani *milites ebrietatis adcuſati ab* Italis, *regreſſerunt, in hunc, niſi fallit recordatio, ſenſum:*

Nos qvidem anhela ſitis: ſed vos Venus improba torqvet:
Julia Lex Veneri condita: nulla mero.

(*c*) *Hoc enim omnino hic neceſſarium: ut ſi* convicii retorqvendi reus non ſit intorqvens: retortio locum habeat omnino nullum. *(d) Ut hujjusmodi* Retortione *non obſtante, Retorqvens nihilominus convicia facientem injuriarum coram judice convenire poſſit ſi velit.* (*e*) *Sine rixarum, & contentioſorum adfectuum turbis, interdum jocando: vel aliud agendo.* (*f*) *de qvo Dn.* Philip. *lib. 4. Dial.* qvando qvis Adverſarii ſui argumentum ſic refutat: ut ſibi contra illum inſerviat. *Qvo conducunt adagia vulgo trita:* Noſce teipſum: Tecum habita: In te deſcende: Manticæ, qvod in tergo, reſpice: In tuum ipſius ſinum inſpue: *Et qvæ in noſtra lingva ſunt recepta.* Zeuch dich ſelber bey der Naſen: Riechе in deinen eignen Buſen: Kehre für deiner Thür / (*g*) *Argumento d. l* Qvi cum majjor: *In qva* Patroni Filio *qvi crimina ſibi objecta in eum, à qvo petitus erat*, retorſerat: & provocatus ſe ulciſci voluerat, ignoſcendum cenſet Ulpianus. *Et de hoc vel ſimili caſu videtur accipi debere decretum illud* Veſpaſiani Imperatoris, *de qvo* Svetonius *cap. 9. in vita ipſius ſic ſcribit*: cum de jurgio qvodam Senatoris Eqvitisq; Romani Div. Veſpaſianus Aug. *ipſe congnoſceret: & pro* Senatore *diceretur*. Tanti ordinis homini qvoqvo modo factam injuriam ferri non oportere: *etſi ab eo cœperit: nec eam ultro eqves intulerit, ita pronunciavit:* Non oportere maledici Senatoribus: remaledici civile, fasq; eſſe. (*h*) *Cum difficillimum ſit* juſtum temperaſſe dolorem. *d l. 38. §. Imp.* Adulter. *cumq; ex accepta injuria* qvilibet ut plurimum incipiat inſanire; *ut ait Ter. Adelph.* Et inſaniat: ſi qvis iratus inſtigetur: *ut Id. in* Andr. (*i*) *Qvia* ignoſcendum eſt illi: qvi ulciſci ſe voluit provocatus *d. l. Qvi. 14.*

XXX.

Qvamvis avtem pleraq; ex Hiſtoricis pavllo ante (a) recenſita ſuſtineri poſſint hactenus retorqvẽdi exempla: nihil tamen illa vulgo a Doctoribus receptam *Retor-*

tortionis doctrinam juvant: cum qvod in hac multa ſint ab *illis diſcrepantia*: tum qvod hujjus forma *illis incognita prorſus, & inviſa.*

(a) th. 27. ſub lit. b. hac p. tertia.

XXXI.

Diſcrepantia hinc adparet: (1) qvod *illa retorqvendi exempla* convicium intortum præſubponunt ejjuſmodi qvod *plerumq;* (*a*) *verum*: Hæc vero *ſemper falſum* (*b*) (2) Contra reqvirunt illa retortum *ſemper* (*c*) *verum*: & (3) *idipſum dumtaxat*, qvod erat intortum: (*d*) hæc autem *plerumq; confictum*, & *ſæpius aliud ab eo*, qvod intortum erat. (*e*) (4) Qvod item illa *ſine injurioſis*, excepto intorto convicio, verbis proferantur: (*f*) hæc vero ſcateant verbis *ad contumeliam* & ingnominiam ſtudioſe cõrogatis & ſelectis (*g*) (5) Qvodqve illa proferantur *animo ab adfectibus tranqvillo* ſæpe cum vultu *renidente, latenter, & argute*: hæc vero adfectuum *turbis exacerbato*: *ſemper verbis aperte injurioſis, & craſſiſſimo rancore* (*i*) *plenis* (6) Qvod deniqve illa *judiciariæ vindictæ* iram Retorqventi *non præcludant* (*k*) hæc omnibus juris modis ad vindictam conparatis eundem *penitus exermem faciat.* (*l*)

(a) Cujjusmodi pleraq; ſunt, qvæ ſuperius adlata. Et eſt hic ſimile qvod in d. l. qvi cum 14. §. Libertus. legitur: In qvo retorſit Patronus, vel Filius illius crimina: qvorum erat adcuſatus, in adcuſantem Libertum: non qvod ipſe illorum reus non eſſet: ſed qvod Libertum ſocium, ut interpretatur Accurſius *habuiſſet.* (*b*) *Ut patet ex part. 1. theſ. 9.* (*c*) *alias enim eſſet injurioſum, & pœna coercendum, cum in alium* retorqveri juſte non poſſit: cujjus ille Reus non ſit. (*d*) *Non enim debet retorqveri* aliud: neqve plus, *qvam erat intortum: ſed id ipſum, qvod adceptum erat. Et ideo in hoc ſolo caſu vocabulum* retorqvendi *metaphoricum qvidem eſt:*

ſed

ſed tamen hujjus reſpectu proprium: *cum qvod erat emisſum, in eadem* qvalitate & qvantitate *acceptum, retorqvendo remittitur in avctorem ſuum.* (e) *Videlicet cum Recriminans dicit*: Tu mentiris (*hoc enim eſt aliud*) ut fur, latro &c. *qvæ conficta plerumq; crimina: cum recriminati plerumq; non ſint tales.* (f) *Exempla ſuperius adducta teſtantur hoc: qvæ nihil vel parum habent, qvod injurioſum ſit: ſi id, qvod intorqvetur excipiatur.* (g) *Cujjusmodi ſunt*: mentiris ut fur, latro, ſceleſtus, proditor, adulter: &c. (h) *Docet hoc avtopſia exemplorum ſupra conlectorum: qvæ plerumq; jocoſe proferuntur: vel ſaltem animo minime conmoto.* (i) *Oſtendunt hoc vulgatæ* Retortionis *formulæ: turbulentis adfectuum motionibus imbutæ, & libidine vindictæ plenæ: qvarum exempla exſtant apud* Harpr. *d.* §. hæc actio *227. cum ſeqq. &* Adamum Volcman. *de inform. Notarior. p. 2. c. 83.* (k) *Qvod nusqvam probatum proſtat.* (l) *Ut teſtatur theſ. 13. part. 1. pro qva, tanqvam pro aris & focis, adverſa pars depugnat.*

XXXII.

Qvod vulgatæ & hodie receptæ *Retortionis* forma ſit illi, de qva jam diximus, *inviſa, & adverſa* tum adparebit: cum de hac rectius conſtiterit: Siqvidem non omnium eadem eſt hac de re ſententia. Conſideratur avtem hæc *forma Retortionis* vulgo receptæ partim *in ipſa Subſtantia*: partim in *circumſtantiis*. *Subſtantia* verſatur in ipſa contradictione: cujjus interventu, convicium facienti ſe obponit, qvi patitur illud: qvam *injurioſam*, ut illi volunt, (a) eſſe oportet. Qvæ cavſſa eſt, ut qvi ſic contradicit: *Hoc falſo tibi perſvaſum: Falſo hoc adſeveras: Hoc falſum eſt: Tu dicis falſum:* (c) *Tu non dicis verum: Hoc non eſt verum*: Vel, ut loqvimur in noſtrate lingva: Dem iſt nicht alſo: Das iſt der Warheit nicht gemeß: Du berichteſt zu milde: Du ſpatzireſt neben dem Wege der Warheit her: Oder du ſpareſt die Warheit. &c. *retortione* ſe uſum, re-

vera

vera ſibi in animum inducere regulariter (c) non poſſit. (d)

(a) *Quia* injuriam inlatam alia injuria compenſare, *& ſic retorqvere debet: qvod ſine injuria fieri neqvit: Cum* injuriam injuria repellere *debeat, qvi retorqvet* Berlich. *d. concl.* 64. *th.* 1. *qvod pluribus declaratum ſupra p.* 2. *th.* 6. *lit. a.* (b) *Falſum enim eſt id omne: qvod* verum non eſt: *ſive dolus illi accedat: ſive non. Atq; ideo recte colligit hinc* Salicetus*: cum falſum tàm dolo: qvàm ſine dolo committatur: qvod dicens* [tu falſum dicis] *actione injuriarum conveniri neqveat: qvia in dubio capienda interpretatio hæc: qvæ delictum removet: teſte* L. Schrad. *in repet. ad l.* admonendi de jurejur. n. 17. (c) *Qvia talia verba reputantur honeſtiora: ut ex dicto* Saliceto, Alexandro, Jaſone *probat* Tuſc. *in L. M. verbo* mentiris. *concl.* 104. *n.* 12. Farinacius *de var. div. crim. q.* 105. *n.* 327. *Poſſunt enim ſine injuria hæc omnia ſic proferri: ut illi, cui contradicitur, per ea nullum crimen, vel delictum imputetur: cum etiam vir bonus falſo perſvaſus, & errore, vel opinione non vera ſeductus, qvod per ſe falſum eſt proferre: & ſic qvod falſum, vel qvod non eſt verum dicere ſine ulla fravde, & dolo ſuo qveat. Non enim* Gordianus *Imp. A.* Pomponio *injuriam fecit: cum ipſi qvod* viam veritatis ignoraret, *exprobravit: l. viam* 10. C. Locat. *Nec* Clavdius Imp. *A.* Epagathum *injuria oneravit: cum* qvod falſo adſeveraſſet aliqvid, *ei reſcribſit.* L. falſo 2. C. diverſ. reſcribt. *Multo minus* Diocletianus *&* Maximianus Impp. *A.* Evſebium *convicio jactarunt: cùm* falſo qvid ipſi perſvaſum dixerunt: *l.* 3. *C.* com. rer. alien. *Sic* Celſus JCtus Nervæ *JCto convicium non fecit: qvando, qvod* ipſe reſponderat falſum eſſe ſcribit: *L.* ſi rem 29. Evict. *Eadem de cavſſa* S. Propheta Jeremias *nullum in Magiſtrum Præfecturæ* Jerejam *convicium retorſit: qvando ipſi ad falſam inſimulationem defectionis ad hoſtes Chaldæos reſpondit:* falſum eſt, me ad hoſtes defecturum eſſe, *Jerem. c.* 37. *v.* 14 *Non enim hoc egit* S. Jeremias *ut crimen transfugii cujus erat inſimulatus, in ipſum Præfecturæ Magiſtrum retorqveret: ac ſi ipſe* (*qvod* Retortionis *proprium*) *transfugii reus eſſet: ſed ut ſe à criminis hujjus, cujjus falſo inſimularetur ſuſpicione liberaret.* (d) *Injuriarum enim cum conveniri neqveat; qvi dicit: qvod*

Digitized by Google

hic vel ille falſum, vel non verum protulerit: qvia hæc verba non cenſentur injurioſa: ut probat poſt Schneidewin. *ad* §. *Injuria*, 1. *J. de injur. n.* 10. *&* 11. Coraſium *ad. l. ſi tàm avguſti. n.* 5. *Servitut.* Bolog. Alexand. Bertazol. Jaſon. Andr. Tiraqvell. Farinacius, *& hos fere omnes adlegans Dn.* Berlichius *d. part.* 5. *concl.* 59. *th.* 64. 65. *Dn.* Bozerus *cl.* 4. *diſp.* 4. *th.* 32. Harprechtus §. *injuria.* 1. *J. d. tit. n.*69. Beſoldus *d. diſp.* 1. *th.* 29. *Certius nihil eſt; qvam qvod etjam hic nullam injuriam, qvæ ſibi facta non eſt, retorqvere qveat: de qvo etjam ſup. hac p.* 3. *th.* 2. *etjamſi vulgo talis reſponſio tuta non ſit: niſi* proteſtatione *mitigetur. Et licet pleriq; velint, idem obtinere; ut injurioſa non ſit reſponſio hæc:* tu mendacium dicis: *idq; avctoritate Ægellii, de qva pavllo poſt in th.* 35. *ſub lit. d. dicetur; & exemplo* Ciceronis: *qvi in orat. pro* Cluent. *ſic refert:* nego illum adoleſcentem, qvem ſtatim è poto poculo mortuum eſſe dixiſtis, omninò illo die eſſe mortuum: magnum & inpudens mendacium proſpicite &c. *Nemini tamen avctor eſſe velim, in noſtra vernacula lingva, ut hac Retortione:* Das iſt eine Lüge; Es ſeyn Lügen die du vorbringeſt/etc. *cuiqvam inſultare avſit. Si enim* Galli *non ferrent; ſi qvis diceret:* tu non dicis verum, Das iſt nicht wahr; *ut putat* Coraſ. *in d. l. ſi tàm avguſti. n.* 9. *Servitut. multo minus* Germani *hanc poſteriorem concoqvere poſſent; qvi vix priorem illam ferrent. Accedit* Farinac. *var. div. crim. q.*105. *n.*329. *adlegans* Bertazol. *conſ.* 152. *n.* 12.

XXXIII.

Inter veras autem *Retortionis* formulas, qvi modeſtiores videri volunt, hanc conſtituunt? (*a*) Si convicio jactatus, exempli cavſſa, *tu es fur, adulter, transfuga*, dicat: *non ſum fur &c. ſed te pro fure, adultero &c. tamdiu habebo: donec me talem eſſe probaveris.* (*b*) Contra vero hanc: Si qvis laceratus conviciis ſuperioribus, regerat: *immò tu es fur, adulter, transfuga,* &c. *non ego*: repudiant. (*c*) Multo magis igitur hanc: Si Titius Sempronium increpet *Furem*: & hic contra *Latronem*. (*d*)

(*a*) *Qvam probat, & ad imitandum proponit Dn.* Obrechtus *d. loc. cap.* 2, *n.*17. *hac uſus ratione; qvod* eandem non aliam retorqve-

qverere injuriam ſit æqvum. *Qvæ mihi qvidem ratio ſat firma videtur, qvia hujus actus natura reqvirit: ut qvi telum, in ſe intortum, retorqvere vult; idipſum, non aliud, retorqvere debeat.* (b) *Qvæ qvidẽ formulæ Retortionum freqventiſſimæ ſunt hodie; & præ aliis ut inculpatæ, lavdantur:* Ich halte dich ſo lange für einen Dieb/ Verrähter/ Ehebrecher/ etc. biß du mich deſſen/ wie Rechtens/ vberführeſt. *Vel* (*qvam formulam profert* Beſold. *d. diſp. de injur. th.* 20.) Du ſolt ſelbſt ein ſolcher Geſell bleiben/ ſo lang vnd viel du ſolches wirſt auff mich bringen. *Cujus farinæ illud eſt noſtratium, qvamvis pavllo teſtius; cum objicienti crimen furti, vel ſceleſti, reſpondent:* Ein Dieb oder Schelm ſchilt mich; *Vel qvod magis amphibolon eſt:* Ich laſſe mich ein Dieb ſchelten. *Qvo ſpectant illæ apud Volcmannum formulæ repertæ:* Daß ich jhn ſo lange für den jenigen halte/ der Bubenſtück begehet/ biß er auff mich/ wie Recht/ derogleichen erwieſen/ vnd durch Vrtheil vnd Recht mich vberzeuget; *form.* 10. Daß ich jhn ſo lang dafür halte/ der Schelmſtück begehet/ biß er auff mich derogleichen wie recht bewieſen habe; *form.* 3. Wil jhn ſo lang für einen verlogenen Mann halten vnd geſcholten haben/ biß er deſſelbigen mich wird für meiner Obrigkeit vberführen; *form.* 4. Daß ich obgenandte Diffamanten vnd jhren Anhang ſo lange für leichtfertige Schelmen vnd Ehrendiebe/ Diffamanten vnd Lügner/ auch vngebührliche Aufftreiber achte/ biß ſie mich zu derogleichen Geſellen machen/ etc *form.* 5. (c) *Qvod hoc modo retorqvens ſe vindicare, & novã injuriam inferre videatur, ex qva conveniri ab injuriante qveat: licet qvia provocatus remaledixit, mitius puniri debeat; teſte* Mynſing. *cent.* 3. *obſ.* 17. *num* 3. Boc. *cl.* 4. *diſp* 4. *th.* 31. Conl. Argent. *d. loc. th* 19. *n.* 3. (d) *Qvi caſus eſt à* Speculatore *tit. de accuſat. motus; in qvo cuiq; parti ſuam injuriarũ actionem competere pleriq; cum* Speculatore *d. loc. contra* Johan. Vavd. *& alios rectiſſime concludunt: remota, qvam vulgo prætendunt,* compenſatione*: qvos ſeqvitur, & probat* Jac. Schult. *in addit. ad* Modeſt. Piſtor. *q.* 127. *n.* 47. Obrecht. *d. c.* 2. *n.* 17. Agel. *lib.* 6. *cap.* 11 Minſing. *reſp. c.* 2. *n.* 17. Vurmſer. *t.* 46. *obſ.* 15. Gail. 2. *obſ.* 100. Beſold. *de injur. diſp.* 1. *th.* 2. *Qvam ſententiam præjudicio* Lipſienſis *JCtorum Conlegii confirmat* D. Mollerus *ad Elect. Conſt.* 42. *p.* 4. *n.* 35.

Digitized by Google

XXXIV.

Verum neq; jura (*a*) neq. exempla (*b*) ex probatis avctoribus depromta, hanc formulam probatam facient. Qvam etjam *principia* (*c*) *juris* ſic averſantur: ut, ſi formula *poſterior* recte reprobata fuerit: (*d*) nulla ſit diverſitatis cavſſa: (*e*) cur *prior* probari posſit.

(*a*) *Qvæ tam diu ſtabit negatio firma: donec probabitur adfirmatio. Et indubitatum eſt*, à lege ceſſante *argumentum: de quo ſup. p. 2. th. 20.* (*b*) *Qvæ ſtabit iterum negatio: donec ex probatis avctoribus contrarium demonſtretur.* (*c*) *Cujjusmodi ſunt*: alterum non lædere §. *Juris. l. de Juſt. & Jur. Et qvod hinc deducitur*: Alteri injuriam, vel convicium non facere: *cum is lædat illum, cui injuriam infert: qvia ſemper* ſpecialia generalibus inſunt, *per* Everh. *in loc. leg. à Gen. Qvod enim in genere prohibitum eſt: id in ſpecie qvoq; prohibitum cenſetur. niſi lege ſpeciali ſit conceſſum. Qvod probatur exemplo Iſraëlitarũ Ægyptios in exitu ſuo defravdantium: qvod* D. *Avguſtinus ſic excuſat: Qvod* Iſraelitæ furtum non fecerint, ſed Deo jubenti miniſterium præbuerint: *c. dixit* 12. *c.* 14. *q.* 5. (*d*) *De qvo dubitari non debet eo caſu: qvo remaledictus non eſt obnoxius illi crimini: qvod per convicium ſibi erat inpactum: qvia remaledicens &* falſo *infamia hujus criminis maculat innocentem*: & vindictam *privatim ſibi de alio, extra caſum* neceſſariæ defenſionis *ſumit: qvod in jure Civili conceſſum nemini. Qvamvis enim vulgo loqvantur de pari, vel ſimili injuria referenda indiſtinctè*: Farinacius *tamen in conſ.* 35 *n.* 27. *reqvirit in retorto crimine* veritatem: *ut ſi falſum ſit, qvod relatum crimen eſt, relatio ſit punienda etjam in provocato: ex diſtinctione* Bologneti *ad. l. ut vim. n* 94. *qvam veriſſimam putat in additionibus ſub lit. M. Fam. Centolin.* (*e*) *Sive enim furti convicium facientem, recriminer* eſſe furem: *ſive qvod illum* pro fure, *donec convicium probet*, habere velim: *utroq; certe caſu furti infamia illũ deformatum cupio. Sicut enim priori caſu recriminatio mea conviciatorem revera furem non facit: ſi furti reus non eſt: ſed pro fure cupio illum apud alios, propter meam recriminationem, vindictæ ſtudio haberi; ſic etſi poſteriore caſu eundem mea proclamatio furem non faciat*:

dat: ſi furti reus non ſit: quantum tamen in me eſt: illum apud alios ſolius vindictæ cupidine furis nomine infamem haberi cupio: ut ſic utrobiq; ex ardore ultionis illum furti infamia notatum velim. Nam ſi hoc tantùm furti convicio proſciſſus propoſitũ ſibi haberet: ut ſe à furti crimine excuſaret: & contra conviciatorem ſuam famam defenderet: ſatis hoc teſtatum faceret: ſi in continenti coram auditoribus hoc, vel ſimili modo proteſtaretur: Ego furti Reus non ſum, & nunquã fui: tu honori & innocentiæ meæ vim facis. Ego injuriam hanc mihi factam revoco ad animum, ſuo loco & tempore vindicandam. *Qvia autem hac defenſione non contentus, progreditur ad remaledicendum: etjamſi conviciantem non nuncupet furem: ſi tamen illum* pro fure: *& non ſecus*, ac ſi fur eſſet *æſtimatum, apud ſe, & alios proclamet: hæc verba non alio; qvam ad vindictam privatam tendunt, & innocentem furti macula adſpergunt: cum ſi fur revera non ſit: nec* pro fure *haberi debeat. Si vero* pro fure *debeat haberi: à furti criminis macula purus eſſe apud alios non poſſit. Qvo jure autem Retorqvens homo privatus, Retortum (ut ita cum vulgo loqvar) infamiæ macula, ſi non ſit fur, adſperget: cum hoc in ſolius legis ſit, ut infamia qvenpiam notet, facultate? Adeo ut hoc fulmen infamiæ, qvod Retorqventes evibrant, revera brutum ſit, & ipſo jure nullum. (f) fruſtra ſunt enim, qvi huic formulæ ſubſidium in d. l. 14. §. 6. à Patroni filio petunt: cum ille non privatim: ſed in judicio criminali: non convicio oneratus: ſed læſæ Majjeſtatis accuſatus, in forma, & ſub jure exceptionis, non dixerit ſe eſſe inſontem: & Libertum pro reo Majjeſtatis læſæ, donec crimen probaret, ſe habiturum: ſed ſimpliciter retorſerit crimina, quorum nomine erat adcuſatus, in Adcuſantem: ut illũ faceret eorundem vel ſolum reum: vel ſaltim ſocium.*

XXXV.

Alii igitur, qvibus hæc forma Retortionis videtur æquo lenior, aliam ſibi confingunt: ut Retorquens convicium facienti recriminetur his verbis: *Tu mentiris.* Id qvod *de forma* volunt *(a) ſubſtantiali Retortionis* obſervandum eſſe: Qvod vulgo in re barbara Dd. barbare vocant; *alicui mentitã dare*: (*b*)qvam extra caſum Retortio-

nis injuriam pleræq; gentes ſemper atrociſſimam, & nullum turpidunis genus exſecrabile magis æſtimarunt: (*c*) qvia doli & calumniæ macula conſpurcetur is, (*d*) contra qvem reſpondetur: *Tu mentiris.*

(a) Inter qvos chorum ducit Dn. Bocer. *cl.6.diſp.1.th.33. & d.cl.4. diſp.4.th.30. &* 45. Berlich. *d.p.5. conc.59. th.53.* Harpr. *d.* § *injuria I. n.*80. (b) *vel* inpingere; *vel* mentiri aliqvem, *h. e. mendacii qvenpiam redarguere; vel mendacium alicui exprobrare. Cujus formulam Bocerus his verbis d.th. 45. præſcribit:* Solches redeſt du nicht/ wie ein warhaffter Bidermann/ ſondern als ein wiſſentlicher verlogener Ehrenſchender. *Qvæ qvidem hominis mendacis eſt graviſſima periphraſis; adeo ut avctorem ipſum illius pæne puduerit: qvando per cavtelam (* ne quid nimis *) ſubjectam mitigare cupit illã. Sed in qva, qvod reprehendatur nihil animadverto: immò mendacis naturam graphice, & vere deſcribtam hic intelligo. Interim hanc ut formam retorqvendi non probo.* (c) *Neq; id inmerito: Cum mendacii crimine nihil ſit inter viros bonos, etjam Ethnicos, exoſius: adeo ut* Perſæ *(qvod refert ex* Herodoto Eraſmus *in Proverbio :* Felix qvi nihil debet *) nullum qvam* mentiri, *&* æri alieno ſubjectũ eſſe, *turpius in viro dedecus exiſtimarint. Unde Homer. Il. 9. exclamat de mendace:* ἐχθρὸς γὰρ μοι κεῖνος, ὁμῶς ἀίδαο πύλῃσιν, ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν: ἄλλο δὲ εἴπει. *h. e.* Inviſus mihi eſt æqve atq; inferi portæ: qvi mente qvidem aliud celat; aliud avtem ore loqvitur. *De* mendacio *a. teſtatur S. S.* Scribtura: *qvod ex Diabolo, qvi* mendax ſit, *&* mendacii pater, *& non niſi mendacium loqvi poſſit, originem traxerit Johan.8.v.44. Actor. 5. v.3.4. qvod* probrum ſit peſſimum, & furto pejjus, *Sirac. cap.20. v.26.27. Qvodq; ſummus Legislator in Decalogo illud peculiari præcepto ex honorum mentibus exterminarit. Cujus uſu ut omnibus hominibus eſt interdictum:* & ex rebus contrahendis omne mendacium eſt, *avctore Cic. lib.* 3 *off.* tollendum: *ſic illis qvi præ aliis eſſe conſpicui volunt, id ſummo dedecori vertendum:* ψεῦδος γὰρ μισεῖ πᾶς φρόνιμος, καὶ σοφός: *ut* Menander *inqvit, h. e.* Omnis vir ſapiens & prudens odit mendacium. *Adeo ut apud* Terent. *in Heavton. Syrus viliſſimus ſervus dicat;* Mentiri non

ėſt meum; *cum* in virum bonum non cadat mentiri ſui emolumenti cavſſa: *ut inqvit Cic.* 3. *offic. ut rectè dixerit* Evripides: *χρὴ ἀψευδὸς εἶναι τοῖς γενναίοις στόμα: h. e.* Viri generoſi os non decet mendacio imbutum eſſe: *vel ut noſtras proverbium ſonat:* Edelmans Mund ſoll nicht ligen. *(d) Qvamvis enim hoc ex natura vocabuli* mentior, *aliqvi deductum nolint: mihi tamen id valdè probabile videtur, qvod* Lav. Valla *lib. eleg.* 3. *c.* 58. *tradit:* Mentiori *verbum a* memini, *unde* mentio *derivari: ut ſit* mentior, *qvia* contra mentem loqvor: *præſertim cum hæc illius verbi ſignificatio ſit omnium gentium unanimi conſenſu confirmata;* ut mentiri *dicatur is: qvi ex propoſito & alterius decipiendi, vel lædendi, vel diffamandi gratia profert ore, tanqvam verum, qvod in mente ſua novit eſſe falſiſſimum: adeo ut non ſine cavſſa commendet* Agellius *lib.* 11. *c.* 11. P. Nigidii *in ſtudiis bonarum artium præcellentis viri, qvem ipſe* Cicero *doctrinarum nomine ſummè reveritus eſt, ſententiam lepidiſſimã; qva inter hunc qui* mendacium *dicit: & qvi mentitur differentiam hanc conſtituit; qvod ille, qvantum in ſe ipſe, non fallat; ſed fallatur aliqvando: hic vero ipſe non fallatur, ſed qvantum in ſe eſt ſemper fallere conetur. Unde apud* Cicer. *Ac. qv. lib.* 4. *dicitur:* mendacium eſſe opinionis, non oculorum. *Ex qvo idem* Nigid. *hoc Epiphonema deduxit:* Qvod vir bonus præſtare debeat, ne mentiatur: prudens ne mendacium dicat: cum hoc in hominem cadat, non illud. *Qvia ſcilicet* cujjusvis hominis eſt errare, nullius niſi inſipientis perſeverare in errore, *ut pie* Cic. 12. *Philipp. ſentit. Qvod* Chriſtiani *rectius ſic explanamus:* Errare eſt humanum; *ſed* perſeverare in errore (*adde mentiri*) diabolicum.

XXXVI.

Qvamvis avtem hoc ægre cordatioribus qvibuſdam JCtis perſvaderi potuerit: & qvidam (*a*) ſe huic opinioni (*b*) obpoſuerint: noſtra tamen ætate repertus eſt *Facbineus* JCtus magni nominis, qvi ſubcenturiatũ huic formulæ venit, decem machinis inſtructus: qvarũ *ſex* ex LL. *reliqva* ex rationib. dependent: (*c*) ſed qvæ tantã non habent potentiã: ut his veritas ſubverti; & hæc, ut vulgo loqvuntur *mentita datio*, ſtabiliri poſſit.

(*a*)

Digitized by Google

(a) Inter qvos ſunt Joh. Fichard com. opin. lit. A. n.27. dicens: qvod actione injuriarum teneatur dicens, tu mentiris *: licet ſit provocatus, & verum dicat: adlegando pro ſe* Boërium *in conſ. Bitur.* Julius Clarus *ſent. lib.5. § injuria. n.14. Et qvem adlegat* Fachineus Lancellotus Corradus. *Item ex recentioribus* Clavd. Bertazoll. *in add. ad Par. conſilia crim. 135. lit. a. (b) Qvam valde controverſam fatetur* Obrecht. *d. loc. n. 20. (c) lib. 9. cont. c. 12.*

XXXVII.

Conſtat enim hoc ſibi: qvod qvi dicet aliqvem, ſe furti arguentem, *mentiri*: non tantum à jactato in ſe furti convicio ſe defendere conetur: (a) ſed inſuper eidem ex ardore vindictæ aliud, nimirum *doli & calumniæ* crimen (b) qvæ longe abominabiliora convicia ſunt, (c) reponat: & ſic non id, qvod erat intortū; ſed aliud retorqveat longe gravius; atq; ideo inculpatæ tutelæ modum excedat; & animo ulciſcendi ſe conviciantem injuria adficiat graviſſima: cui ſpem inpunitatis facere, Reip. non prodeſt: (d) qvamvis pro ratione circumſtantiarum mitiore pœna coerceri qvandoq; poſſit.

(a) Qvod aliis multo evidentioribus verbis, in nullius injuriam deſtinatis, fieri potuiſſet: ut pavllo ante th. 34. lit. E. declaratum. (b) Calumniari enim eſt falſa crimina intendere; *& per ea alicujjus fama, vita, vel bonis, contra conſcientiam inſidias ſtruere. l. 1. §. 1. ad Turpillian. qvod illi, qvi furti, vel aliud crimen exprobrat alicui, ex eo ipſo non poteſt inputari, cùm multæ poſſint incidere cavſſæ: qvæ hujjusmodi convicia jactantem purgare calumniæ qveant. Sæpe enim, & plerumq; accidit: ut qvis adfectuum & vindictæ inflammatus fervore, convicium jactet; cujjus illum, in qvem jactatur, reum facere, vel adcuſare nunqvam ſibi in mentem venerit. Interdum aliqvid ex aliorum relatu, & qvavis alia perſvaſione concepit: ut putet ſe verum crimen objeciſſe: ſed in qvo falſus ipſe ſit, aliunde. Poteſt qvandoq; etjam jocus, vel alia qvæpiam interveniſſe fiducia: qva fretus objectans convicium, non putavit, illum, qui notatus eſt, hoc animo tàm ini-*

Digitized by Google

iniqvo fuiſſe adcepturum. His igitur & ſimilibus in caſibus cum Calumnia & Doli crimina locum non inveniant: profecto grandi adficitur injuria à Retorqvente; qvi tale qvid, ſine calumnia motu, effutientem, mentiri *dixerit*. (c) *Fur enim bonorum dumtaxat alicui particulæ: Calumniator vero mendax, non tantum bonis, ſed etjam famæ; immò ſæpius & vitæ jacturam minatur*. (d) *Cum illa maxima ſit ad peccandum inlecebra; teſte* Cic. *pro Milon. Et bodie illæ* mentitæ dationes, *ut vulgus Dd. loqvitur, plurimarum rixarum, tumultuum, turbarum, duellorum, cædium, & infinitarum calamitatum cavſſæ ſint, in bis* Germaniæ *noſtræ oris, cum inter plebejjos: tum maxime inter* Nobiles *freqventisſimæ; ut ſupra dictum p. 2. th. 28. & 38. Qvæ cavſſa eſt; ut in multis bene conſtitutis Germaniæ civitatum Politiis hujjusmodi* Mentitæ dationes, *etjam provocatæ, & in vim retorſivam profuſæ certis multarum pœnis ſint conſtrictæ: qvæ ſummâ nituntur æqvitate.*

XXXIIX.

Sed machinas *Facbineas*, qvid posſint, ponderare libet. Ex *Legibus* producit l. *quæ omnia. 25. §. 1. Procuratorib.* (*a*) l. *Qvi cũ. 14. bon. Libert.* (*b*) l. *ut vim.* J. & Jur. (*c*) Poſt ex *Sacris* profert c. 37. *Jeremiæ* (*d*) ad qvæ qvattuor loca qvid reſpondendum ſupra dictum. Adfert dehinc aliud ex 1. Reg. 3. v. 22. In qvo mulier Actrix ad Reæ mulieris exceptionem replicare dicitur: *tu mentiris*. Qvi locus cum ob verſionem minus probam; tum ob alias circumſtantias hîc nihil movet. (*e*) Et qvod ex l. *devotum*. 5. C. de *metat. & epid.* infert: hanc ad rem nihil facit. (*f*)

(a) *Unicus hic eſt locus in toto Jure Civili, in qvo illud* Mentiri *obcurrit; ex qvo hæc opinio ſcaturiit; ſed in qvo nihil eſt roboris; qvod huic firmandæ ſubpeditari posſit; ut ſup. dictum hæc p. 3. th. 17. Primum enim* κρι]ικῶς *vel* diſpoſitive *nihil adſerit* Ulpianus: *ſed* ἐξηγη]ικῶς, *b. e.* narrative *tantum proponit, qvid factum ſit; vel fieri potuerit; non qvid* fieri debuerit. *Nec enim hic illa vertitur qvæſtio:* Jurené an injuria Procurator dixerit: Dominum mentiri.

Sed ſi Dominus coram Judice Procuratorem ſuum velit ab obſicio procurationis ex cavſſa ingnominioſa, [*Exempli gratia:* qvod conluſerit cum adverſario ſuo] *remotum: huijus vero criminis reum ſe Procurator fateri nolit, & factum neget; vel qvod Dominus hoc nomine falſo ſe traducat conqveratur: qvid facto ſit opus. Et respondet* Ulpianus: *qvod ille ad poſtulatum Domini, nec ſtatim removeri; nec Domino invito Procurator, ut porrò cavſſæ patrocinium præſtet, ſuſtineri: ſed huijus litigii cavſſa partes ad Prætorem remitti debeant; ut hic litem finiat; h. e. per ſententiam dirimat. Rationem ſubdit* Ulpianus: *Etjamſi* Procurator ferendus non ſit in procuratione, *qvam ſibiipſi adſerere invito Domino velit;* ferendus tamen ſit *hucuſqve: ſi petat, ut procurationem exſeqvi ſibi concedatur, donec convicium & pudorem ſuum purgare, & ſic eo purgato, inlæſa exiſtimatione ſua procuratione carere poſſit. Unde evincitur hoc: Qvod Procurator non per illud* Mentiri *convicium ſibi factum jam purgarit: ſed qvod apud Prætorem* pudorem purgare ſuum velit. *Qvid enim Prætoris definitione opus ad hanc rem fuisſet; ſi per illud* Mentiri *Procurator jam pridem ſuum pudorem purgaſſet? Neqve vero hoc facto diutius procurationem exſeqvi, qvod maluit, ſibi opus fuisſet; ſed ſtatim purgato convicio, inlæſa exiſtimatione carere procuratione debuisſet. Nam qvod dicit* Ulpianus *Procuratorem* non eſſe ferendum: *non refertur ad* mentiri: *qvaſi* non eſſet ferendus, qvia mendacii Dominum redargüisſet: *cum hæc interpretatio adverſaretur Dd. opinioni: ſed ad procurationem, ut ab illa non ſtatim removeretur: qvod cupiebat Dominus. Sic qvod poſtea dicit: Procuratorem* eſſe ferendum: *non habet hunc ſenſum; qvod propter mendacium Domino objectum non debuerit coargui; ſed qvod coram judicio Judex illum in obſicio procurationis tam diu ferre deberet: donec pudorem ſuum apud Prætorem purgasſet. De eo igitur, qvod hic Doctores exſtruere volunt; qvaſi Procurator per* ſuum mentiri *convicium ſibi factum retorſerit; nullum hic animadverti poteſt verbum. Sed poſito, qvod tamen nunqvam probari poterit; qvod per hoc* Mentiri *ſe purgasſet Procurator; factum hoc eſſet in judicio*

Digitized by Google

dicio à Procuratore, qvi à Domino criminis adcuſatus, è veſtigio excipiens, ſe criminis reum inficias iviſſet. Id qvod ad hunc Retortionis *vulgaris caſum, qvi extrajudicialis, & privatus eſt actus, adcommodari non poſſet: cum hoc tantum egiſſe præſumeretur reus Procurator: ut excipiendo ſe contra adcuſatorem defenderet; non ut illum calumniæ oneraret; ſine qva ſibi Retortio conſtare neqvit; utpote qvæ injuriam ſibi inlatam,* injuria retorqvet. (b) *In hac lege non dicitur: Qvod Patroni filius Libertum* mentiri *dixerit; de qva ſola qvæſtione hic controvertitur, ſed qvod crimina, qvorum nomine ab ipſo erat Reus actus,* in eum retorſerit: *id qvod parum vel nihil habet cum priori qvæſtione commune.* Mentitam dare, *ut vulgo ajjunt Doctores, non eſt idem, qvod* Retorqvere; *cum retorqvens crimina ſibi injecta eadem, ut erant prolata, à ſe removeat, & transferat in auctorem; ut hic illorum ſit reus, qvæ intorſerat, ſive ſolus, ſive cum retorqvente. Contra qvi dicit convicianti,* tu mentiris; *non retorqvet intorta ſibi convicia in intorqventem; ſed dumtaxat dicit:* illa ſibi per calumniam intorta: *ita ut illorum conviciantem non arguat Reum; de qvo ſupr. plurib. actum hac part. 3. th. 16.* (c) *Et qvod hæc lex ad* injuriam verbalem *nihil omnino faciat, ſupra dictum p. 3. th. 11. cum ſeq.* (d) *cui & ipſi ſupra hac in parte 3. th. 2. & 32. reſponſum; qvod eo minus huc referri poteſt, qvia* Fachineus *ipſemet ſcribit:* Jeremiam reſpondiſſe (*non,* Mentiris; *ſed*) falſum eſt. *Qvod nihil ad hunc rhombum.* (e) *Vulgata qvidem lectio ſic habet:* Responditq; altera mulier, non eſt ita ut dicis: ſed filius tuus mortuus eſt, meus autem vivit. *Econtrario illa dicebat:* mentiris, filius qvippe meus vivit, & filius tuus mortuus eſt. *Sed qvi ſecundùm Hebraicam veritatem exactius hunc verſiculum tranſtulerunt, in latinam lingvam illud* (mentiris) *non adgnoſcunt. Sic enim* Sant. Pagninus, & Vatablus: Poſtea dixit mulier altera: neqvaqvam, ſed filius meus vivit, & filius tuus eſt is, qvi mortuus eſt. Illa verò dicebat: Non: ſed filius tuus eſt is, qvi mortuus eſt, & filius meus eſt is, qvi vivit. Immanuel Tremellius *&* Franc. Junius *ita verterunt idipſum; Dixit vero mulier illarum altera:* Neqvaqvam,

ſed filius meus eſt, qvi vivit; filius vero tuus, qvi mortuus eſt. *Illa vero dicebat*: Qvin immò: Filius eſt tuus, qvi mortuus eſt, & filius meus qvi vivit. *Eodem modo vertit hunc verſum Dn. Lutherus*: Das ander Weib ſprach: Nicht alſo/ mein Sohn lebet/ vnnd dein Sohn iſt todt. Jene aber: Nicht alſo/ dein Sohn iſt todt/ vnd mein Sohn lebet. *Nihil igitur hic movet* Fachineus. *Et ſi maxime verſio vulgata ſtare posſet: nihil ipſius prodesſet cavsſæ. Inducuntur enim hîc duæ meretrices; Exempli gratia*: Hagar & Thamar. Illa hanc *coram rege* Salomone *pro tribunali ſedente adcuſavit*, ſubpoſiti partus; hæc *factum non modo negavit*; *ſed in* illam *repulit*; *ac ſi* illa *crimen hoc patrasſet*; *cujjus* Thamarem *adcuſarat*. Hagar *igitur hanc repulſionem calumnioſam redarguere volens; dixit*: (*ſi verſioni fides esſet danda*) mentiris; *h. e. per calumniã crimen* ſubpoſiti partus *in me retorqves*. *Si qvis vellet hoc uti exemplo pro* Retortione *firmanda, debebat eam in* Thamari *conlocasſe; qvæ crimen ſibi revera inpactum falſo retorſit in Hagarem adcuſatricem. Aſt hæc* Retortio *ſibi non conſtabit; qvia* Hagar Thamari *crimen hoc* vere *objecit*; *qvod retorqveri non debuit*. Hagari *avtem ad exceptionem retortivam Reæ replicanti, ſi* retortio *inputanda: erit illa* Retortio Retortionis; *qvam vulgo exoſam Dd. habent. Et qvidqvid demum ſit: Exemplum hoc esſet* mentitæ vulgaris *in judicio ab Adcuſatrice, Reæ exceptioni & retortioni calumnioſæ replicando obpoſitæ; qvæ ad firmandam hanc noſtram* Retortionem extrajudicialem privatam *nihil conferre posſet. Et cujjus qvæſo eſt hæc* mentitæ datio? *Meretriculæ, cum meretricula certantis: cujjus exemplum ecqvid viris bonis & juſtis ad imitandum proponi posſit vel debeat; viderit* Fachineus: *& pudeat ipſum, & omnes ſuos adſeclas! qvod ex hiſtoriis, ſive ſacris, ſive profanis nullum aliud ſuæ* mentitæ *potuerunt exemplum exſculpere: qvam qvod ab infami, & vilisſima meretrice commodato ſumtum; & hoc tamen adhuc, ob vitioſam verſionem ſuſpectum: ambiguum certe; cum contra reperiantur in* ſacra Scribtura *tot, & tam clare Summi* Jehovæ; *&* Redemtoris *noſtri*, Prophetarum & Apoſtolorum, *qvæ hujjusmodi* recriminationes *ſevere prohibent, interdicta! Interim respondeo: hoc exemplum à vitioſa verſione decerptũ, nec esſe verum; nec rite adplicatum; nec* exemplis *perſonarum turpium*

pium; *ſed* legibus judicandum. (f) *In hac lege conceditur* devotis poſſeſſoribus (*h. e. ne cogantur Militi Cæſareano hoſpitium præbere, privilegio munitis*) *facultas expellendi* Metatores, *h. e. deſignandorum hoſpitiorum gratia Milites præcurrentes: ita ut ob hanc expulſionem patratam nullius debeant criminis adcuſari: cum* ſibi arbitrium ultionis ſuæ ſciant eſſe conceſſum. *Verum qvid hoc ad illud:* Tu mentiris? *Si volunt Dd. hoc eo ſenſu adlegatum; qvod nullum crimen pertimeſcere debeat is, qvi convicium facienti dicit:* Tu mentiris; *qvia* ſciat arbitrium ultionis ſuæ ſic eſſe ſibi conceſſum: *demonſtrarent illi mihi; qvo in jure; qvo in privilegio; vel qva in lege ſit illi, cui falſo convicium dicitur*, hoc arbitrium privatæ ultionis: *ut poſſit illi reſpondere*; Tu mentiris, *conceſſum?* Nullus & Nemo hic mordebunt ſe in ſacco. *Si proferent exemplum* meretricis: *Regero, id eſſe ſub ſpecie verſionis havt probæ confictum. Si* Procuratoris *ex famoſa l. 25. dicam: id in nudo conſiſtere facto, nuſqvam probato. Et qvod* non exemplis, ſed legibus ſit judicandum. *Interim ſtare regulam:* Qvod arbitrium ultionis privatæ nemini ſit conceſſum; *donec probetur contrarium. Ne dicam, qvod juxta hanc legem, ſi qvid arguere poſſet,* Retortio *eſſet* ultionis *ſpecies: qvod impingit in communem omnium Dd. traditionem, qvi contendunt,* Retortionem *non eſſe* Ultionem, *vel* Vindictam; *ſed tantum* Defenſionem.

XXXIX.

Ad rationes reliqvas pergendum: qvarum *una* ſic habet: *Qvi caret animo injuriandi, injuriarum actione non debet conſtringi.* Sed dicens, *tu mentiris*, caret animo injuriandi: qvia habet tantum animum *purgandi. Ergo injuriarum actione non debet conſtringi. Adſumtum* nego. *(a) Alia* ſic. *Paria delicta mutua conpenſatione tolluntur.* Sed in hac ſpecie *delinqvit is, qvi convicium intulit.* Ergo *conpenſari debet* cum altero delicto provocati, qvi reſpondet: *Tu mentiris. Propoſitionem* inprobo. *(b) Tertia* hujus eſt ſenſus: *Qvi alium convicio provocavit: non habet actionem injuriarnm contra illum, qvi*

provocatus convicium aliud reſpondit. Sed cui dicitur; *tu mentiris, is dicentem provocavit.* Ergo &c. *Propoſitionem* non admitto. (*c*) *Poſtrema* hoc in fundamine ſubſiſtit. Qvod dicens: *tu mentiris*, non mereatur pœnam; qvia expediat ſcire: qvod, *qvi injuriam intulerat, ſit calumniator*; ut cæteri ſibi caveant: ex l. *qvi nocentem* 18. *Injur*, Hujjus l. hunc eſſe ſenſum nego.

(a) *Si ſubficeret hoc ad excuſandum injuriarum actionem; ſi injuriam inferens diceret; ſe non feciſſe animo injuriandi; nemo injuriarum reus peragi poſſet; cum cuivis promtum ſit; animum non injuriandi ſibi confingere. Aſt hic eſſe animum injuriandi in illis, qvi dicunt:* tu mentiris, *adparet ex ipſius verbi* mentiri *ſignificatu vulgari: qvo notatur ejjusmodi crimen, qvo nihil fœdius inter gentes pleraſq;, inprimis* Italos, Gallos & Germanos *æſtimatur: adeo ut non* verbis, *ſed* verberibus *id refutare vulgo dignum noſtri judicent: ut pavllo ante dictum theſ.* 35. *&* 37. *Animo igitur injuriandi prolata præſumitur* mentita: *utpote* verbum injurioſum; *donec contrarium probetur l.* Si non 5. *Cod.* Injur. *Nam ſi eſſet* purgandi *dumtaxat animus in* mentitam dante, *in propatulo eſſent, infinita verba; qvibus ſine conviciis ullis (nedum adeo atrocibus!) relatis honorem* purgare proteſtando, contradicendo, *&* ad animum revocando *poſſet: ut huijusmodi* mentitarum, *ut illi loqvuntur,* datione *opus non eſſet. Et qvænam quæſo eſt* purgatio *major in eo; qvando retorqvens dicit*: Tu mentiris; *qvam in eo qvi dicit:* tu verum non dicis; tu me falſo hujjus inſimulas peccati &c. *niſi qvod illa* qvaſi purgatio *eſt ſumme injurioſa: hæc vero moderata, & citra contumeliam dicta?* (b) *Ex hoc argumento præcedens refutatur: ſi accepto fertur illud: qvod hic expreſſe dicitur:* provocatum *dicendo*, tu mentiris, *delictum, hoc eſt* injuriam *commiſiſſe: cum provocantis injuriæ* conpenſandam: *cum ſi provocatus dicendo*, tu mentiris *injuriam fecit: animum injuriandi neceſſario habuerit. Sed negatur propoſitio hac; qvod paria delicta mutua conpenſatione tollantur: Qvia locum*

cum

Digitized by Google

cum dumtaxat habet regula, in horum delictorum pœnis, qvæ ex Contractibus, *vel* Qvaſi *dependent, vel ad* pecuniarium *privatim compendium in* delictis, *vel* qvaſi *tendunt: qvibus in caſibus à* Fachineo *l.* viro. ſolut. matrim. *& l.* ſi ambo. *non C.* (*ut mendoſe legitur in exemplari meo* Fachinei) *ſed D.* Compenſ. *ad hanc regulam probandam citatæ loqvuntur; cum alias illa ceſſet, ſi criminaliter agatur. Ex qvo etjam Doctores communiter concludunt, qvod his in caſibus, & in ſpecie, in qvibus alter alterum mutua conviciorum adfecit injuria, conpenſatio non admittatur, ut probat* Franciſc. Viv. *theſ. com. opin. lit. A. §. actione injuriarum num 5. ſed utriq; actio injuriarum dari debeat, ut poſt* Speculatorem *&* Panormitanum, Schneidwin. §. *injuria* 1. *num.* 12. *Inſt. Injur. &* Gailius 2. *obſ.* 100. *num.* 9. *docent: qvos ſeqvitur poſt* Modeſtinum Piſtor. & Dn. Mollerum, Obrechtus *d. loc. num.* 17. *& cum his conſentit* P: Gr. Tholoſan. *d. l. Syntagm.* 38. *cap.* 7. *num.* 14. Zangerus *d. cap* 8. *part.* 3. *de* except. *num.* 121. Jac. Schult. *in addit.* Piſtor. *qvæſt* 127. *num.* 47. *Qvi licet poſt alios huc inclinet, ut putet, ſi dubium ſit, uter in conviciando fuerit arctor; qvod tunc habeat, ſi civiliter agatur, locum conpenſatio; rationem tamen ego diverſitatis nullam video; cur non etjam in civili caſu ſit cuiq; actio ſua concedenda, dict. loc. num.* 52. (c) *Ex qva etjam qvod in ratione ſeqvente profertur, refutari poteſt. Qvamvis enim culpa ſit in eo, qvi prior injuriam intulit, utpote qvæ injuriam paſſo, ut diceret,* tu mentiris, *cauſſam dedit: hinc tamen non ſeqvitur, qvod culpa vacet omni qvi aliam retulit injuriam, cum nulla ratio neceſſitatis hic militet; qvæ ipſum ad referendum, & dicendum,* tu mentiris, *coëgerit. Siqvidem jure ſe vindicare, paſſus convicium potuiſſet: vel ſi respondere confeſtim ſibi viſum fuiſſet: ſine tamen ullo, nedum tam atroci convicio, respondere, ſuamqve famam defendere licitum fuiſſet. Qvia igitur hic uterq; læſus eſt: ut utrique ſubcurratur, iniqvum non erit contra lædentem, Nec ad rem faciunt Ll. à* Fachineo *adlegatæ, qvæ agunt de defenſione contra* injuriam realem *neceſſaria, qvæ ab hoc longe differt caſu,*

ut

ut ſuo loco hac p.3. th.19. dictum. Immò l. ſi ex plagis. 52. § tabernarius ad l. Aqvil. *non denegat actionem injuriarum priori; qvi læſus à poſteriore viciſſim fuit; ſi* data opera, *ut lex loqvitur*, oculum reverberando effodiſſet. *Qva ratio cum hic locum habeat; qvando dicens*, tu mentiris, *præſumitur* data opera, *&* vindictæ *ſtudio, nulla coactus neceſſitate, recriminatus fuiſſe: æqvitas poſcit: ut hæc etjam malitia conſtringatur. L.* 1. §. cum arietes, ſi qvadr. pavp. fec. *hic parum habet roboris: cum in beſtia provocata, ecqvid moderamen inculpatæ tutelæ obſervarit, & ecqvid dolo; data opera, & vindictæ; an vero ſolius defenſionis gratia reſtiterit, diſtingvi neqveat. Et qvidqvid ſit: loqvitur lex utraq; de* reali injuria: *qvæ cum* verbali *non debet confundi.* (d) *Qvia in hac ratione, qvam ex ſua ſe depromſiſſe pharetra profitetur, multum fiduciæ, & in poſtremo repoſuit eam loco* Fachineus: *ponderanda hæc exactius. Cujus ratio dependet ex interpretatione, l.* cum qvi. 18. *Injur. qvam* Fachineus *d. lib.9. cont. cap.* 10. *ſic explicat: ut, qvi nocentem* etjam injuriandi animo, & ex prava intentione *diffamavit, nulla actione injuriarum conveniri poſſit. Ex qvo conſeqvens: Qvod injuriam, per* tu mentiris *paſſus, ſi falſum convicium ſit intortum: vindicare hanc infamiam non poſſit, qvia* nocens ſit *infamatus.*

Primum *ſic reſpondeo: Qvod hæc ratio generalis non ſit: ſed eo tantum caſu locum habeat: qvo qvi convicium falſum in qvempiã conjecit, ex dolo, & calumnioſe id fecit. Si avtem calumnia abſit: qvod multis adcidere poteſt modis; qvod tunc illa recriminatio*, Tu mentiris, *locum non habeat; qvia non omnis injuriam faciens, qvi falſum dixit, etjam mentitus fuit, qvod tamen putat* Fachineus; *ſed hic tantum, qvi calumnioſe falſum fecit convicium.* Deinde *refert ſe* Fachineus *ad* D. Gailii *diſtinctionem: qvi l.* cum qvi, *non ſemper obtinere vult: ſed ut is demum injuriarum teneri non debeat, qvi tale nocentis peccatum infamando detexit: qvod* Reipubl. & notum eſſe oportuit, & ut puniretur, Reipubl. interfuit. *Aſt tale peccatum eſſe convicium cuiqvam falſo factum, ſi* Fachineus *adſerit; eadem ratione omnia omnino delicta, maleficia, crimina, peccata, huic legi involvit; qvia nullum eſt, qvod non ſit aliqva pœna dignum, & cujjus pœna non poſſit ad utilitatem* Reip. *aliqvid conferre. Si vero*

non

Digitized by Google

non omnia, ſed aliqva tantum hujjus farinæ peccata huc referuntur; qvibus incognitis, & non punitis Reipub. *detrimentum pavllatim importari poſſet, cujusmodi ſunt:* latrocinia, ſacrilegia, adulteria, ſtupra, falſi crimina, *& ejjus generis alia, de qvibus publica judicia conſtituta ſunt; ſane hoc peccatum, qvod in convicio cuiqvam privatim, etſi falſo, factum verſatur, tale non erit. Qvid enim detrimenti* Reſp. *ceperit; etiamſi illa neſciat, & non puniat: qvod* Mævius fidei (*exempli gratia*) non ſervatæ, ebrietatis, avaritiæ, prodigalitatis, doli, fravdis, levitatis, pigritiæ, ingratitudinis, &c. *convicium falſo in* Sempronium *jactarit? Si igitur hæc & ejjus generis alia privatorum hominum peccata* Reip. *nota eſſe nec oportet, nec expedit; hæc* Fachinei *ratio nobis negotium non faceſſit. Qvod in fine ſubdit* Fachineus, *illum qvi dicit:* tu mentiris, *non peccare; qvia faciat hoc tantum* purgandi ſui gratia, *non avtem lædendi adverſarium; & ſi forte* tacite contineat hæc in ſe purgatio qvandam injuriam, qvod ea non debeat adtendi; *Tantoné ſit viro digna talis adſertio: nimis ambigo.* Mentita *enim hæc,* [*cum vulgo loqvor*] *qvæ peccatum exſecrabile cenſetur, non* tacite, *ſed* expreſſe *infertur; & qvatenus eſt peccatum,* ad purgandum *nihil facit. Hoc qvidem cuiqvam conviciis adfecto ad* purgationem *ſui conducit: Si convicio facto coram avditoribus in continenti contradicat*: ſe non eſſe talem; ſibi injuriam fieri; falſum, *vel,* non verum dici; ſe revocare hoc ad animum; proteſtari contra injuriam, &c. *Sed qvid huc facit* tu mentiris? *Qvamvis enim hæc tacite præſubponatur ſub* tu mentiris *contradictio; illud tamen, qvod exprimitur in hoc* tu mentiris; *aliam qvam* recriminationis & injurioſæ vindictæ *rationem nullam habet. Exempli gratia:* Sempronius *increpat* Mævium *his verbis:* tu me fefelliſti: & Mævius *respondet*: tu verum non dicis; ego te non fefelli: ego proteſtor de injuria mihi facta: qvam ad animum revoco legitime vindicandam. *Hucusq;* Mævjus ſuum pudorem purgavit: *& qvidem legitime, & ſatis acriter, ſed ſine peccato. Si vero ſubjiciat* Mævius: Tu mentiris; *vel, qvod idem,* tu es Calumniator; *vel* Mendax; *profecto nulla hic animadvertitur* ſui purgatio, *ſed ex mero vindictæ calore & ex ſpurciſſimo rancore* recriminatio, *qva nihil aliud promovet; qvam qvod* Sempronium *turpiſſimo convicio*

vicio proſcindit, & contra præcepta, tam ſacra, qvem profana turpiter maledicenti, vel criminanti, longe turpius remaledicit, & recriminatur. Qvamvis autem, ut hoc obcaſione hujus diſputationis adnectam, Fachineus *d. l.* eum qvi. *ſic intelligat, ut etjam illum, qvi ex prava intentione, & ex ſtudio conviciandi qvempiam infamat, injuriarum non teneri adſerat; & communis opinionis ſubfragia hic ſecum trahat: ego tamen &* ſacræ Scribturæ, *& ſanius* Philoſophantium *avctoritate fretus, in paucioram ſententiam eo, qvi peccati injuriaram expertem non ſtatuunt eum, qvi* ex prava conviciandi & injuriam faciendi libidine nocentem in forma convicii *infamare ſibi in animum induxit. Qvod* Impp Diocletian. & Maximin. *etjam Ethnici rectius perpenderunt, qvando in l. ſi non convicii. 5. C. Injur. exſerte præcipiunt: Qvod* fides veri (*in crimine objecto*) à calumnia te non defendat, niſi te non convicii conſilio aliqvid injurioſum dixiſſe probare poſsis. *Et hoc noviſsime ſanxit etjam optimus* Imperator Carolus V. *in* ſanct. crim. *art.* 110. *circa* famoſum libellum: Und ob ſich auch gleichwol die auffgelegte Schmach der zugemeſſenen That in der Warheit erfünde; Soll dennoch der Auffrührer ſolcher Schmach nach vermögen der Rechte unnd Ermeſsigung des Richters geſtrafft werden. *Ex qvo conſeqvens: ſi in* famoſo libello, *cui pæna graviſsima indicta, non valet ad excuſandum* veritas convicii; *qvod nec in aliis injuriis hæc excuſatio qvidqvam promovere poſſit. Neqve vero hoc ſibi conſtat, qvod* Fachineus *tam ardacter adſerit: qvaſi* abſqve animo injuriandi nemo alium infamare poſſit; *& qvod in d. l.* eum qvi. *animum injuriandi* præſubponere ſit neceſſe; *cum tamen manifeſtum ſit:* Irenarchas, Stationarios, Nunclatores, *& hodie* Fiſcales, *ſine animo injurioſo infamare nocentes, ſi qvos animadvertere poſſint. Et licet in his, officium prætendatur, nihil tamen obſtat, qvo minus etjam* civis bonus *qvilibet nocentem infamare, hoc eſt, (ut doctiſſ. interpretatur recte* Bocerus *cap. 3. num. 16. de* fam. libell.) *crimen alias obcultum alicujus nocentis,* ſed qvod notum eſſe & oporteat, & expediat: *non in vim & formam convicii; ſed alio qvovis modo ſine adfectu injuriandi, manifeſtare & detegere qveat. In qvem ſenſum inclinat etjam* Covarruv. *lib.* 1. *reſol. cap.* 11. *num.* 4. *Item* Trevtler.

ler. *Volum. 2. Diſput. 30, th. 5. lit. G. ubi id probat magni judicii vir* Bacchovius, *&* Hunnius *ibid. qvæſt. 39 lit. D.* Heigius *part. 2. qvæſt. 31. num. 42.* Menochius *conſil. 41. num. 21.* Vultejus § Injuria. *J. injur. num. 3.* Tholoſanus *Syntagm lib. 38. cap. 5. num. 7.* Schraderus *Fevd. lib. 9. cap. 4. num. 110.* Veſenbecius *in parat. Injur. num. 8.* Forſterus *part. 1. Diſp. fin. th. 13.* Joan. Robertus *ſent. lib. 2. cap. 7.* Bertazol. *conſil. 137. num. 410. Non enim audiendus hic eſt* Horatius *lib. 2. Satyr. 1. in fin. inter bona & mala carmina diſtinguens, ut illis liceat injurias inferre, his non item:*

Si mala condiderit in qvem qvis carmina: jus eſt
Judiciumq; eſto, ſi qvis mala: Sed bona ſi qvis,
Judice condiderit, laudatur Cæſare: ſi qvis
Obprobriis dignum laceravit: integer ipſe:
Solventur riſu tabulæ: tu miſſus abibis.

Graviſſime enim Cicero *lib. 4. de Repub. hanc licentiam refellit;* Noſtræ, *inqvit*, duodecim tabulæ cum perpavcas res capite ſanxiſſent: in his hanc qvoq; ſanciendam putaverunt: Si qvis jactitaviſſet, ſive carmen condidiſſet, qvod infamiam adferret, flagitiumqve alteri. Judiciis enim, & Magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam; non Poëtarum ingeniis habere debemus; *nec* probrum audire; niſi ea lege: ut reſpondere liceat, & judicio ſe defendere.

XL.

Sublatis igitur his fulcris corruit illa ſtrues: qva vulgo Doctores ſuum illud *Tu mentiris*, fulcire fruſtra conantur. Cum qvis crimen ne qvidem *verum* cuiqvam, *in forma convicii*, etjamſi inconſulto calore prolapſus in rixam ſit, exprobrare debeat: (*a*) cum injuria, vel convicium ſemper ſit, & maneat peccatum; ſive *inferatur*: ſive *referatur*: utut *illud* gravius; & turpius iſto videri qveat: cum qvi convicium refert: is etjam illud *inferat*: & iſthac ratione

Digitized by Google

nemo *ſuum pudorem purgare recriminando* cavte qveat: qvin animi ſui morbum ex *inpatientia* vitio & *privatæ vindictæ* conatu prodat, qvippe qvod, ne qvidem *provocato*, *ſe ulciſci*: Sed tantum *neceſſitate cogente* ſe defendere ſit permiſſum.

(a) *d. l. ſi non convicii, 5. C. Injur. Nimis enim inconmode dictum illud eſt: qvod* Obrecht. *d. l. n. 24. profert*; qvod non ſit injuria: ſi qvis alterum, qvi revera mentitur, mentiri dicat. *Immò eſt injuria: ſi qvis hoc in forma convicii referendi, & in rixæ calore reponat: nec fides veri ipſum ab injuria defendere poteſt, ut d. l. 5. disponit. Cum qvod per ſe eſt injurioſum: cujusmodi eſt*, tu mentiris, *id & in* provocato injurioſum *maneat; qvia nulla illum cogit ad* recriminandum neceſſitas; *cum ſalvo honore ſuo per legitima remedia famæ ſuæ conſulere qveat; & qvia pro animo præſumitur recriminandi, donec contrarium probetur, ut in præcedente theſi & ſupra in locis pluribus hoc adſertum.*

XLI.

Et licet hoc dogma crudum ſatis ſit, & incivile: utpote *nullo jure* (a) ſubfultum: & *nullo* probati Avctoris *præcepto*, vel *exemplo* (b) comprobatum: longe tamen crudius, & incivilius eſt illud: qvod hoc ſuum *Tu mentiris* his emblematibus, ſcilicet: *tu mentiris per gulam tuã* (c) *ut fur, latro, adulter, ſceleſtus, proditor, infamis:* (d) & qvicqvid eſt hujjus generis, (etiamſi conviciator nulli horum criminum obnoxius ſit:) exornare, & efficacius reddere conantur. Adeo ut dubitem: Ecqvid inter omnes Doctorum Jurisprudentiæ *opiniones* unqvam ulla ſit inſulſior vel viſa; vel audita. (e)

(a) *Nullus enim ex omni jure poteſt apex proferri; qvo talis* recriminatio *pro retorqvendo convicio ſaltim palliari poſſit. Nam qvod de* Procuratore *ex d. l. 25. prætenditur.* id vim recriminandi *nullam habet, ſed dumtaxat litem negative conteſtandi, vel ſaltim contra adcuſationem objecti criminis* Conluſionis *excipiendi, qvod*

ipſum

Digitized by Google

ipſum tamen Mentiri *cum indecorum ſit: nevtiqvam ibi probatum legitur; immò vel ipſis Doctoribus teſtibus reprobatum, cum hæc verba:* cæterum ferendus erit; *vulgo ſic interpretentur: qvod per illud* Mentiri *pudorem ſuum* purgarit; *atq; adeo id dicens*, utcunq; (*qvod addit* Pet. Greg. Tholoſ. *l.* 38 *cap.* 5. *n.* 5.) ferendus ſit: *nimirum ut propter illud indecorum* mentiri *non debeat pœna conſtringi: nec nimio ſibi vitio verti: cum* purgandi pudoris *cavſſa hoc, inconſulto calore, effutiisſet. Qvamvis enim illa interpretatio* legis menti, *ut ſupra dictum non ſemel*, non conveniat; *ad convincendum tamen Doctores hoc facit: qvod, ſi vera hæc interpretatio ſit*, *JCtus* Ulpianus *illud, ut incivilius dictum non probarit, ſed* ferendum *dumtaxat* eſſe *duxerit*: Man ſondte ihm ſolches zu gute halten. (b) *Qvod enim* Farhineus *ex* 1. *Reg.* 3. *producit; id ejusmodi eſt: ut, etjamſi mendoſa verſione non laboraret:* viro bono *tamen*, meretricum *rixoſa contentio*, & recriminatio, *non eſſet ad imitandum propoſita.* (c) *in os, vel cor tuum*, Du leugſts in dein Hals/ in dein Hertz hinein. Schrader. *fevd. p.* 9. *cap.* 4. *n.* 115. (d) wie ein ehrloſer Mann; wie ein Schelm/ Dieb/ Hurenmann/ Hurenſohn/ etc. Schrader. *ibid d. n* 115. *cum ſeqq.* (e) *Dato enim hoc, qvod tamen nunqvam probabitur; potuiſſe, vel poſſe hujusmodi* Retortionem *ſummo jure unqvam alicubi, ut licitam, admisſam fuiſſe: Certe* Juris-Conſulti, *non tantum, ut* viri boni; *ſed etjam* Juſtitiæ Sacerdotes, *debuisſent hoc ad ſui Juris Principium, qvod eſt,* honeſte vivere (*ſub qvo cum aliæ virtutes omnes; tum vero maxime in civili conſortio neceſſariæ, ut ſunt:* modeſtia, magnanimitas, urbanitas, comitas, adfabilitas, humanitas, patientia, æqvanimitas, placabilitas, & *ejus generis aliæ, qvæ ad unam omnes, hunc* retorqvendi, *tam incivilem modum averſantur, ſunt comprehenſæ) etjam hoc inprimis in memoriam ſibi revocaſſe:* Qvod non omne, qvod liceret, honeſtum eſſet: *l. non omne* 144. *R Jur.* & *qvod* in conventionibus, non ſolum qvid liceret, ſed etjam qvid honeſtum eſſet, *conſiderari debuisſet*, *l.* ſemper 197. *Eod. Facere non poſſum: qvin hic virum* Ethnicum, & *qvidem* militarem, *ſed longe ſecius hac de* Retortione *Doctorum noſtrorum, qvi* Juris Conſulti, & Chriſtiani *eſſe volunt, judicantem, ad excitandum ruborem in medium producam, ſcilicet*

Æneam, his verbis *Achillem* apud *Homer.* Iliad. 20. conpellantem:

ἀλλ' ἄγε μηκέτι ταῦτα λεγώμεθα, νηπύτιοι ὥς·
ἐστὶ γὰρ ἀμφοτέροισιν ὀνείδεα μυθήσασθαι.
ἀλλὰ τίν' ἔριδας, καὶ νείκεα νῶϊν ἀνάγκη
νεικεῖν ἀλλήλοισιν ἐναντίον: ὥστε γυναῖκας:
αἵτε χολωσάμεναι ἔριδος περὶ θυμοβόροιο,
νεικεῦσ' ἀλλήλῃσι: μέσην ἐς ἀγυιὰν ἰοῦσαι:
πολλ' ἐτεά τε καὶ οὐκί: χόλος δέ τε καὶ τὰ κελεύει,

hoc eſt:

Sed age: ne amplius hæc dicamus, veluti pueri,
Licet eqvidem *ambobus obprobria loqvi:*
Sed qvid vixis & obprobriis *nobis* neceſſe eſt
Contendere *mutuo contra:* veluti mulieres?
qvæ iratæ pro pernicioſa contentione
contendunt mutuo, mediam in viam euntes,
multa vera, & non: ira avtem & iſta jubet.

Nimirum fortisſimus Dux cenſuit: etjamſi hujjusmodi Retortionem puerorum, *&* mulierculárum *more inſtituere ſibi liceret: qvod tamen ſe* virum *illa non deceret, & qvod id; etjamſi liceret,* honeſtum *non eſſet.*

XLII.

Sive enim in *Leges*: ſive in *præcepta*: ſive *exempla*, qvibus hæc opinio probetur, inqviras: nihil horum invenies (*a*) uſqvam: ſi in *avctoritates*: ſiqvidem fides eſt habenda Dn. *Schradero* (*b*) vetus hæc traditio non eſt, ſed ante annos vix dum LX. primum invecta; utut interea tam altas egerit in noſtratium animis radices; ut in his evellendis fruſtra ſim futurus forſitan; *Rationes*, qvibus vanitatem traditionis hujjus obtegere laborant: adferunt perbellas, & prægnantes, ſi non apodicticas; ſcilicet! qvod is, qvi convicium falſum facit, *ſcelerate* (*c*) *agat*: & *furi*, *latroni*, ac *proditori æqviparetur*: qvod hæc

hæc verba: *ut fur, latro, proditor &c.* non referant *injuriam novam*, ſed ad unum eundemqve effectum tendant, & unam tantum injuriam conſtituant, & *exaggerent tantum* præcedens (*d*) (*tu mentiris*) qvod hæc verba *qvalificative* tanqvam *adceſſoria*, in *conſeqventiam vel ſeqvelam* adjiciantur; qvæ naturam ſui *principalis* primordii, & initii ſeqvantur (*e*) &c. Qvæ omnia ne caſſa qvidem nuce digna: de qvibus recte dici poteſt vulgatum illud: qvod, *illas nanias recitaſſe: ſit refutaſſe.*

(a) *Cur ergo hic vos in ruborem non datis? cur* non erubeſcitis; qvando ſine ulla lege hoc *non modo* in Scholis *docetis*, *ſed etjam ad obſervandum*, *&* *exercendum* in Foro *proponitis*? (b) *Qui gloriatur in ſuo Commentario* de Fevdis *p. 9. cap. 4. num.* 115. qvod hanc deciſionem, *ut ipſe loqvitur*, (mentiris ut fur, latro, proditor &c.) *tenuerit in* ſuis lecturis, *&* in conſilio qvodam, *qvod ſuis* (Schraderi) *rationibus motus eandem opinionem ſecutus ſit Dn.* Minſingerus, *& qvod ſecundum eam in* Cam. Imp. *judicatum ipſe teſtis ſit in obſ.* 17. *Cent.* 5. *Et ſane de nibilo non eſt*, *qvod* Minſinger. *in d. obſ. hujjus opinionis* (tu mentiris ut fur, latro &c.) *mentionem fecerit.* *Qvod autem* Camer. Imper. *juxta illam judicarit*, *ex D.* Minſingero *probari neqvit*, *qui hoc tantum dicit*: *qvod* etſi de hac quæſtione (*ecqvid licitum eſſet* injuriam verbalem verbis *refellere*:) non levis fuerit inter Camerales concertatio; qvod tamen crebrius itum in adfirmativam. *Qvæ forma autem fuerit iſtius propulſionis*, *nihil meminit*; *cum*, *qvæ poſtea ſubjicit*, *hanc controverſiam non concernant.* *Qvemadmodum & illud in dubium vocari poſſet*; *Ecqvid D.* Minſingerus *ut probaret illud*, (tu mentiris ut fur, latro) Schraderi rationibus fuerit commotus: *cum ipſius nullam faciat mentionem.* *Qvidqvid ſit; hoc vero conſonum*, *qvod* Schraderus *ad* § Jus autem Gentium *num.* 57. *J. de J. N. Gent. & Civil. dicat*: ſe credere, qvod licite, objicienti falſum crimen, dicere qvis poſſit: tu mentiris ut ſceleſtus, fur, latro, & proditor. *Certum & hoc, qvod in* 1. *tom.*

Conſ.

Conſ. JCtorum: German. *qvi in lucem typographicam prodiit Anno 1568. Conſilium 40. & ultimum* Ludolfo Schradero *adſcribtum reperiatur, in qvo hæc etiam qvæſtio prolixa diſſertatione declaratur, qvam poſtea in tractatum de* Fevdis *transſcribſit; ex qvo illam* Dn. Harprechtus *in ſuum retulit ferme verbotenus Commentarium, ut ſuſpicio qvidem ſit à* Schradero *traditionem hanc* tu mentiris, ut ſceleſtus, fur, latro, proditor &c. *derivatam. In cujus rationes antequam inqviramus; hoc præfari viſum fuit: Cum conſilium hoc in gratiam cujusdam* Doctoris JCti Stetinenſis Syndici ſit conſcribtum, *qvi tribunis plebis ſe in cavſſa qvadam ſuſpectum arguentib. responderat:* illos mentiri ut ſceleſtos; *& cum hanc ob cavſſam per ſententiam,* Relegationis *pœnam ſibi dictatam ſenſerat, ab ea ad Cam. Imper. adpellarat: ſi qvidem verum eſt illud vulgo tritum:* qvod opiniones Doctorum in Conſiliis ſuſpectæ ſint admodum, *cum in gratiam Clientum vela modo extendantur; modo contrahantur, & ut idem* Minſing. *in præfatione ſuis reſponſis præmiſſa, qværitur qvod in Conſiliis* plerunq; ad qvæſtum, gloriam, potentium gratiam reſpondere; & legis, vel interpretis verba obtinendæ cavſſæ ſtudio, ad ſuam ſententiam detorqvere vulgus de jure reſpondentium, ſoleat; *idq;* tam manifeſtum ſit, ut inficiari bona fide havtqvaqvã hoc poſſit aliqvis, *ut pluribus probat* Alciatus *lib. 12. parerg. c. fin. & qvæ in proœmio reſponſorum ipſius ex ipſius ore referuntur:* qvod JurisConſulti precio & prece expugnati, vel odio, vel amore inducti, avt ſpe aliqva grandioris Minervalis pellecti, nunc in Principum gratiam; modo in amicorum obſeqvium; avt congnatorũ adfiniumvé commoda; qvandoq; & in rem ſuam, ac inimicorum obfenſionem dicenda tacuerunt; tacenda effutierunt, & certa alioqvi juris noſtri ſcita, ſui acumine ingenii, avt Cimmeriis, qvod dicitur, involverunt tenebris, ne veritatis radii emicare poſſent, avt in qvamcumq; volvere partem, tanqvam cerea diſtorſerunt, à communi tritaq; orbita aberrantes prorſus, & per avia periculoſaq; diverticula vagantes: deniq; adeo præfracte limites rectos transſilientes, *ut non tam* de jure reſpondiſſe, *qvam* jus novum pro arbitrio ſuis condidiſſe argutiis: legesq; modo fixiſſe, ut libuit; modo refixiſſe viderentur: qvinetjam aliqvi inde non parvam ſibi glo-

gloriam aucupantes, qvod novarum opinionum primi avctores fuiſſent, qvod ſuis peracutis ſubtilitatibus, qvas verius futilitates dixeris; judicium oculos perſtrinxiſſent: tantamque eorum mentibus caliginem obfundiſſent: *ut* in multas errorum foveas miſere pertracti eſſent. *Unde factum, ut, qvod olim* Cicero *de qvibusdam* Philoſophis; *idem & de hujjusmodi* Reſponſariis *non immerito prædicari poſſit:* nihil tam abſurde dici poſſe; qvod non dicatur ab aliqvo iſtorum. *Hæc ille. Qvæ licet ab ipſomet* Alciato *non ſint obſervata: cum ipſius etjam reſponſa, eodem laborent vitio, ut cenſet ſummus inter Germanos JureConſultus* Hartm. Piſtorius *l. 2. q. 1. num. 87. Veriſſime tamen ſcripta ſunt, & ſcribit eundem in ſenſum etjam rectiſſime* Scheff. *q. 14. num. 5. 6.* Minſing. *cap. 6. obſerv. 60. & alii. Qvæ in cavſſa ſunt, qvod mihi etjam hæc* Schraderiana opinio *ſingularis ſuſpicionis nomine non poſſit non infecta videri. Sed videamus rationes qvibus ad hanc opinionem inductus fuit.*

(c) *Hanc rationem ſuæ opinioni primariam ſubſtituit in Comm. ad Inſtit. qvæ manifeſte falſa; cum confundat crimina à ſe invicem diſtincta. Nam ſi is, qvi cuipiam falſo* [exempli gratia] fornicationis *peccatum objicit æqviparandus eſt* ſceleſto, furi, latroni & proditori, *conſeqventer debet etjam ut* ſceleſtus, fur, latro, & proditor puniri, & pro eo ab aliis haberi. *Sed falſum* conſeqvens. *Ergo & antecedens.* Propoſitio *non eget probationis:* Cum de paribus & ſimilibus, idem ſit judicium. Adſumtio *clariſſima: qvia* ſceleſtus eſt infamis, *& excluditur à bonorum conſortio:* Fur ſuſpendio: Latro rota: Proditor in qvatuor partes diſſectione *punitur. Aſt qvi* mentitur, *vel*, qvod verum non eſt profert: criminaliter *(niſi qvid in falſi crimen incidat) punitur nuſqvam: Immò ne* Civiliter *qvidem, cum plerumq; inpunis abeat. Ubinam igitur* æqviparatio*? Tanta certe vanitas hujjus eſt argumenti, ut illius Avctorem in* Conſilio, *& in Commentario ad* Fevda *puduerit; cum ex rationum ibi poſitarum id numero excluſerit.*

Nec poteſt Harprechtus *huic* æqviparationi *ſubpetias ferre: qvando ſic explanat illam; qvaſi* Retortor *dicat:* tuum mendacium tam vanum: ac ſi à latrone, vel fure prolatum eſſet. *Qvaſi vero mendacium aliud ſit alio* vanius? *Omne mendacium eſt* vanum; *hoc eſt, non pronunciat uti res eſt: à quocunq; ſit prolatum: & æqve va-*

num id, qvod Calumniator; qvam qvod fur, vel latro protulit. Immo poteſt eſſe latro, fur, proditor, adulter; qvi tamen Calumniator non ſit, & nemini falſum convicium fecerit. Si Retorqventis hæc mens eſt: cur non utitur verborum compendio, dicendo: tu omnium vaniſſime mentiris? cur in comparationem parium adducit, qvi forte pares non ſunt, vel in qvibus Mendacii qvalitas nulla deprehenditur; cum de natura horum, furis, latronis, adulteri, proditoris, ut mentiantur non ſit? (d) Per hanc rationem enervatur præcedens. Si enim hæc verba: ut fur, latro: nihil addunt ad præcedens tu mentiris: non etjam æqviparare mendacem cum fure, latrone, &c. qveunt. Sed eſto: qvod ex his verbis fur, latro: non oriantur novæ injuriæ, qvod non inſimuletur conviciator, furti, latrocinii, &c. Qvid agunt igitur? Tendunt ad unum eundemq; effectum, ut reſpondent: Schraderus, Obrechtus, Harprechtus: alii Qvis igitur hic effectus eſt? dic ſodes! Si nihil aliud ſonant, & nihil aliud volunt, qvam tu mentiris; qvorſum adduntur? Volunt mendacium exaggerare, reſpondet Harprechtus. Sit ita. Ergo non tendunt ad unum, eundemq; effectum; Sed addunt alium; nimirum ut mendacem hunc conviciatorem, non ſimpliciter pro mendace traducant: ſed hoc retortum convicium, qvantum poſſunt, exaſperent: ut inſuper etjam ſceleſti, furis, latronis, proditoris macula conſpurcetur. Non enim mentitur convicium dicens ſimpliciter; ſed ut fur, latro, ſceleſtus, proditor. Non igitur eſt unus, & idem horum effectus verborum, ſed poſteriora, ut fur, latro, &c. addunt aliqvid ad præcedentia: tu mentiris. Si addunt aliqvid; neceſſe eſt, id, qvod addunt, eſſe novum; qvod priori non inerat, anteqvam adderetur. At, ut pavllo ante dictum: mendaci non ineſt; eſſe ſimilem, vel eſſe imbutum qvalitatibus illis, qvæ conveniunt, latroni, furi, proditori, adultero: qvia poteſt mentiri qvispiam, qvi nec furandi, nec latrocinandi, nec prodendi, vel adulterandi animum unqvam habuit: & contra, poteſt qvis convinci furti, latrocinii, proditionis, adulterii, qvi tamen infamia Mendacii notari non poteſt. Alias enim ſeqveretur, qvem adcuſare poſſum mendacii, qvod illum etjam poſſem latrocinii, proditionis, adulterii, furti criminis adcuſaſſe; & contra, qvod abſurdum utrobiq;. (e) Sit ita: qvod verbum qvalificative adjectum, ut ex Schradero Harprechtus

tus

Digitized by Google

tus *refert, alteri verbo* per ſe *novam injuriam non inducat, qvia hæc verba* fur, latro, &c. *ſint adceſſoria*, qvæ ſui principalis naturam imitentur; qvod in conſeqventiam, tanqvam ſeqvelæ ſunt prolatæ. *Qvo magis ſe expedire cupit* Retortionis *Doctor: eo magis ſe involvit. Seqvitur enim hinc* primum, *ſi maxime non* per ſe *novæ hinc oriantur injuriæ, qvod tamen hinc oriantur* per qualificationem inſertam. *Qvamvis enim conviciator mendax* per ſe, *neq;* ſceleſtus, *neq;* fur, *neq;* latro, *neq;* adulter, *neq;* proditor *ſit, qvod fatetur* Berlich. *d. concl. 64. th. 6. Et* Harprechtus *d. loc. num. 81. hoc tamen* vi qvalificationis *eſt omnino neceſſe, ut ſit* ſimilis furi, latroni, adultero, &c. *qvoad qvalitates ipſorum, ſecundum qvas qvalificatus eſt ipſis in hac* Retortionis *formula, cum particula* UT, *vel* TANQVAM *ſint* qvalitatis, *vel* qvalificandi *notæ, ut fatentur ipſimet Doctores. Si igitur mentitur Conviciator* tanqvam fur, latro, proditor, adulter, prædo: *oportet ut ſibi aliqvid inſit qvalitatum, cum qvibus ſibi conveniat cum his: qvæ ſunt* in fure, latrone, adultero, proditore, &c. *inſigniter & ſingulariter conſpicuæ. Dentur igitur illæ? Dic ſodes, qvænam ſunt illæ qvalitates, in qvibus* Conviciator *eſt ſimilis, vel* furi, *vel* latroni, *vel* prædoni, *vel* adultero! *ſi dari non poſſunt: ſeqvitur hoc, qvod hinc, & per hanc* qvalificationem *novæ referantur in conviciatorem injuriæ, ut macula* Latronis prædonis, adulteri, proditoris *conſpurcetur; etſi hujusmodi criminum plane ſit inſons. Seqvitur* deinde *hinc; etjamſi ex his verbis* (per ſe) novæ *non inducantur* injuriæ: *qvod tamen per* adceſſorium *&* conſeqventiam, *vel* ſeqvelam *eas inferri ſit neceſſe. Verum figamus hic aliqvantulum pedem! Ex* Schradero Harprechtus *infert: Qvod* Mendax *ſit* principale; *cujus naturam ſeqvantur:* fur, latro, proditor, adulter, prædo, &c. *ut* adceſſoria; *ita qvidem, ut poſito principali,* Tu mentiris: *poſſit etjam poni adceſſorium:* tu es fur, latro, prædo, proditor, adulter &c. *ſatis hæc ſubtiliter; ſed qvam vere qvæſo! Sic argamentor:* Si Mendax vel Calumniator eſt principale, à qvo dependent ut adceſſoria; fur, latro, proditor, prædo, adulter, &c. neceſſe eſt poſito vel ſublato mendace, poni vel tolli etjam furē, latronē, proditorē, prædonē, &c. *Sed* Conſeqvens *falſiſſimū. E. &* antecedens. Propoſitionis *Connexio certiſſima, qvia* adceſſoriū ſeqvitur naturā ſui principalis *c. 42. Reg. Jur. in 6. ut hoc poſito vel ſublato*

 pona-

Digitized by Google

ponatur vel tollatur illud. Cum enim principalis cavſa non conſiſtit; plerumq; nec ea, qvæ ſeqvuntur locum habent *l. cum* 78 *R J.* Adſumtio *planiſſima, Qvia non ſeqvitur:* Titius eſt calumniatus vel mentitus. *Ergo etjam conmiſit* furtum, adulterium, latrocinium, proditionem, deprædationem. *Nec ſeqvitur:* Titius non eſt Calumniator vel Mendax. *Ergo etjam non eſt:* fur, latro, prædo, proditor, adulter. *Qvia Titius poteſt eſſe mendax, ut tamen* neq; fur ſit, nec latro, prædo, proditor. *Et contra: Titius etſi non ſit Mendax; poteſt tamen eſſe:* fur, latro, prædo &c. *Rurſus: ſi* Tu mentiris *eſt* antecedens, *ex qvo ſeqvitur* conſequens: tu es fur, latro, prædo: *Seqvitur,* Antecedente *poſito, vel ſublato, poni vel tolli* conſeqvens. *Sed falſum* Conſeqvens. *Ergo &* antecedens. *De Propoſitione dubium eſt nullum; Qvia* poſita *vel* ſublata cavſa propria ponuntur vel tolluntur omnia ipſius effecta. Adſumtum *eſt ejusdem roboris cum ſuperiore. Qvia mendax eſſe poteſt:* qvi non fur, non latro, &c. *Et contra qvi mendax non eſt: poteſt eſſe* latro, prædo, &c. *Qvæ enim eſt ratio conſeqventiæ:* Titius eſt mendax; Ergo etjam eſt adulter, latro, &c. *Item:* Titius non eſt mendax. Ergo etjam non eſt latro, adulter, &c. *Nimirum ſimilis illi:* Baculus ſtat in angulo. *Ergo* Retortio eſt legitima.

XLIII.

Concludo igitur: Qvod hæc *Retortionis* forma: *tu mentiris, ut fur, adulter, ſceleſtus, latro, prædo, proditor,* ſit *iniqviſſima: Inſulſa*: Jurisprudentiæ *inviſa*: ex prohibitæ *vindictæ fervore impio* prolapſa: plurimarum *turbarum cavſa*, & cujvis *viro bono, nedum Chriſtiano*, cane pejjus & angve fugienda; donec contrarium ex *ſacra Scriptura*; ex *ſapientum præceptis & exemplis*; & ex *Jurisprudentia* probetur.

XLIV.

Et ad *circumſtantias,* qvas vulgo Doctores *Retortioni* ſuæ ſolent adfingere pergo; qvæ primum in eo verſantur; qvod *Retortio* debeat fieri *inter præſentes*: (a) &

qvi-

Digitized by Google

qvidem in *continenti*: (*b*) non *ex intervallo*, qvod hactenus probo. (*c*) Qvod avtem fieri poſſit etjam inter *abſentes*, & qvidem *ex intervallo*, & ex eo tempore, qvo *Convicia paſſus cognovit ſibi factam injuriam*: (*d*) vel qvo *commode ſe præparare, Notarium, & teſtes adhibendo* qveat: (*e*) Id vero eſt qvod *nulla ratione* ſuſtineri poteſt.

(a) *hoc eſt, confeſtim, id eſt: inlico, in ipſa concertatione, atq; congreſſu l. 3. § eum igitur. Unde vi. Ex intervallo enim vis inlata, cogitate infertur: nec tam ad* defenſionem, *qvam ad* ultionem *ſpectat, ait* Cujjac. *l. 5. obſerv. 18.* (b) *Sane ſi* Retortioni *locus eſſe poſſet; qvod præſubpono qvidem, ex vulgi Dd. mente; circumſtantiæ hæ duæ* in continenti; &, inter præſentes, *eſſent omnino* neceſſariæ; *Qvia enim hanc* Retortionem *ſuſtineri in vim* Defenſionis neceſſariæ *Doctores volunt; defenſio avtem neceſſaria, niſi* inter præſentes *nulla dari; nec eſſe legitima, niſi fiat* in continenti, *poteſt; utiq; hanc etjam hiſce reqviſitis inbutam eſſe defenſionem erit neceſſe. Qvæ enim hæc defenſio, qvam qvis ex* longo intervallo, *contra* abſentem *machinatur, & qvomodo qvaſo in* abſentem *poteſt torqveri injuria? qvomodo qvod in* præſentem *non intorqvetur, ſed antehac forſan eſt* intortum; retorqveri *poteſt in abſentem? Qvæ vero retorqvendi neceſſitas incumbit* abſenti; *& ex* intervallo *temporis in* abſentem, *cum ſint in propatulo viæ, & rationes in jure civili propoſitæ: nimirum actiones judiciariæ, qvibus honori ſuo, & famæ* vir bonus avctoritate publica *omnium optime conſulere poteſt?* (c) *Et in hanc etjam ſententiam à pleriſq; etjam illis eſt itum: qvi* Retortioni *patrocinium præſtant; uti ſunt* Gajlius *d. l. 2. obſ.* 100. *n.* 3. *Et obſ.* 101. *num.* 5. Minſinger. *reſp.* 59. *n.* 20. *& reſp.* 7. *n.* 26. Obrecht. *d. c.* 2. *n* 16. Fam. Centolin. *ad* Farinac. *conſ. crim.* 35. *lit. L. Idem div. crim. qvæſt.* 105. *n.* 333. Jacob. Schult. *in addit. ad* M. Piſtor. *qvæſt* 128. *n* 37. (d) *Qvod præter alios putat* Obrecht. *d. loc. num.* 16. *Qvibus additur & hæc exceptio à qvibusdam: Si crimen exprobratum eſſet in illo loco, ubi per ſtatutum* dare mentitam *non liceret: vel tutum non eſſet propter objicientis potentiam. Sed qvæ & ipſæ merito reprobantur: cum præſtet* vindicta publica. (e) *Cujus opinionis ſingularis avctor mihi videtur*

Dn. Bocerus c. 5. n. 46 de famoſ. libell. cl. 4. Diſp. 4. th. 46. Et cl. 6. Diſp. 1. th. 35. qvem ſeqvitur Harprechtus d. loc. n. 97. & n. 101. Harprechtum Berlich d. c. 64. n. 22. Firmare conatur hanc ſuam opinionem Bocerus argumento l. confeſtim. 2. §. 43. SCtum Tertill. l. 1. §. 1. Div. temp. præſcript. l. 1. Qvæ in fr. cred. l. 6. Calumniat. l. cũ ſex. 55. Ædil. edict. l. 2. Qvis ord. in bon. poſs. l. continuus. 137. pr. verb. obl. Sed qvibus nihil promoveri poteſt. Adlegatus §. ex l. confeſtim, loqvitur de Matre, qvæ ſi filiis ſuis non confeſtim, cum opus eſt, tutores à Prætore petierit, jure ſubceſſionis cadit. Qvod explicat Ulpian. in d. §. 43. ſic accipi debere: Ubi primũ potuit, h. e. Prætoris copiam habuit huic rei ſedentis. Qvid hoc prodeſt huic negotio, qvando injuriã qvi ſibi ſentit intortam confeſtim retorqvere jubetur? Ibi (Matri) tempus annale conceſſum: hic ſi vult retorqvere; debet hoc facere in continenti, & in ipſo intortæ injuriæ momento, cũ flagrat intorqvendi actus; qvo præterlapſo ceſſat Retortio, qvia periculũ inpendens (loqvor ex mente Dd.) qvod retorqveri debuerat, evanuit, injuria vulnere jam adcepto. Ejuſdem rationis ſunt, Ll. qvinq; ſubſeqventes: nimirum qvando cuiqvã certũ tempus ad agendũ eſt præſcriptũ; qvod illud utile ſit, ut à tempore ſcientiæ, & qvando experiundi poteſtas eſt, currat. Qvid hoc ad Retortionem qvæ mox in continenti fieri debet. Et ubinã legitur ſcriptum, qvod is qvi aliqvid in continenti facere debet, poſſit id facere ex intervallo? Cũ hæc duo ſint ſibi invicem obpoſita, qvorũ uno poſito, tollitur alterũ. Qvod nemo poſſit injuriã vindicare, anteqvã reſciverit illã ſibi factã, facile admitto. Sed jam qværitur: Ecqvid is, qvi poſtea congnovit injuriã ſibi factã, abſenti poſſit illã retorqvere. qvod nego: Qvia inpoſſibile eſt retorqvere aliqvid, qvod de præſenti non intorqvetur; Sed ante aliqvot horas, dies, menſes, annos intortũ qvondã fuit. Et qvia ſi velit qvis vindicare injuriã ſibi abſenti intortam: modos vindicandi habet alios à jure ſibi conceſſos; à qvibus exſulat Retortio. Ultimum ex l. continuus, non infirmat meã ſententiã, ſed eam confirmat potius. Continuus, inqvit Venulejus, actus ſtipulantis & promittentis eſſe debet: ut tamen aliqvod momentũ naturæ poſſit intervenire. Concedo hoc & in Retortione, cũ debeat aliqvod momentum intervenire, qvo ſentiat conviciũ ſibi intorqveri, qvod retorqvere ſatagat: Sed ita, inqvit lex: ut cominus reſponderi ſtipulanti oporteat. Ceterũ ſi poſt interrogationẽ aliqvid acceperit,

Digitized by Google

rit, *vel*, (*ut alii*) agere cœperit, nihil proderit, qvamvis eadem die ſpoſpondiſſet. *Placet & hoc, qvod* retorqveri debeat cominus; (*non abſenti*) *&, ſi poſt* intortionem injuriæ *factam aliud* agere cœperit; (*Notarium & teſtes qvæſiverit*) *qvod* Retortio *nihil proſit*; *etjam eodem die interpoſita: nedum poſt dies vel menſes.* *Unicum ſupereſt, qvod propius ad rem accedit; deſumtum ex Ord. Camer. Imp. l.2. t.9 §1. v.fin.* Aber dem Beſchädigten ſampt ſeinen Verwandten vnd Helffern ſoll in mitlerzeit/ gegen denſelbigen Thätern vñ Friedbrechern/ auch den ihren vnd deren Mitthelffern vnnd Enthaltern/ ſeine Gegenwehr vnd Verfolgung zu thun/ zu friſcher That/ oder wenn er ſeine Freunde vnd Helffer haben mag/ vnbenommen/ nicht verboten/ ſondern gäntzlich vorbehalten ſeyn. *Receditur hic qvidem eouſq; à jure communi* Defenſionis neceſſariæ *vel* Recuperationis violentæ, *qvod poſſit etjam fieri* ex intervallo. *Verum hoc eſt ſingulari conſilio in cauſſa* fractæ pacis publicæ *ſic à Div. Impp.* Carolo V. & Ferdinando I. *in odium* pacis publicæ violatorũ *conſtitutum pro* Reip. Germaniæ *ſalute*, *qvod ut contra leges*, & *propter* utilitatis publicæ conſervandæ neceſſitatem *ſingulari in caſu receptum eſt, ut* nec ad conſeqventiam produci, *nec* in argumentũ trahi debet, *ut inqvit* Paul. *in l.* qvod contra 141. & *l.* qvæ propter 162. *R.J. ſic etjam nulla ratio ſvadet; cur hoc, qvod in* reali injuria *eſt, & qvidẽ in ſingulari qvodã caſu* recuperandorũ bonorũ, *qvæ* per vim ablata erant *ante, indultum ſit etjam ad* verbalem traducendũ; *cũ longa ſit & lata, ut dictũ ſupra, inter defenſionẽ* realis injuriæ, *&* verbalis, *differentia; qvæ hac in ſpecie hujus* Carolinæ *Conſtitutionis in eo verſatur: ut læſo* per violentã expulſionẽ, *vel* ablationẽ *concedatur* recuperatio rei per vim ablatæ, *qvæ penes auferentem reſidet. Id qvod de illo, qvi verbis eſt injurioſis læſus dici neqvit. Cum enim honor ſuus ab injuriã inferente dumtaxat ſit* læſus qvoad auditores: *non* ablatus: *ratio nulla præſtat: qvî poſſit illum* recuperare à conviciante, *qvi illum penes ſe concluſum non habet.*

XLV.

Deinde in eo, qvod *Retortio* qvævis (*a*) poſſit fieri per *ſolemniter ſcriptum libellũ*; qvi conviciatori ſit *adhibitis teſtibus*, plerumq; & *Notario inſinuandus*: & ſuper inſinuationis actu *inſtrumentum* conficiendum. Qvodq; hic modus *Retorqvendi* ſit *utiliſſimus* & *tutiſſimus* omniũ. (*b*)

Sed

Sed qvem ego *Juriſprudentiæ Romanæ* prorſus inviſum avtumo. (*c*)

(a) *Qvamvis enim* Dn. Bocerus, *qvi hujjus opinionis primus in ſcribtis publicis videtur avctor, velit; hunc* Retortionis *modum dumtaxat ab eo adhibendum eſſe; cui* abſenti *ſit injuria verbis facta; ut videre licet ex th.* 46. *diſp.* 4. *cl.*4. Harprechtus *tamen generaliter d. loc. num.* 211. *loqvitur, qvem, ut* eleganter *&* pulcre *docentem, generaliter ſeqvitur* Berlichius, *qvibus hodierna qvidem, ſed* perniciosa *praxis adſtipulatur; ut ad qvamvis injuriam, etjam* præſenti *factam, ſcribta* Retortio *adplicari ſoleat.* (b) *Qvem his encomiis exornatum exoſculantur, &* tutisſimum, *ambabus ulnis amplexantur, & miris commendant modis*; Harprechtus *jam d. loc. &* Berlich. *d. concl.* 64. *num.* 34. *Sed ſi qværas: Ecqvid idem etjam ſit* juſtus, *&* legitimus; *altum hic ſilentium.* Dn. Bocerus *certe d. diſp. th.* 46. *modum hunc pluribus deſcribit verbis: Sed præter morem ſuum ne litterulam qvidem ad hujjus theſios firmamentum adſcribit.* Harprechtus *ad ſolam provocat* Dn. Boceri *iam dictam theſin; & ad* Halbritteri *avctoritatem.* Berlichius *tranſit cum* Dnn. Bocero & Harprechto *loco teſtimonii citatis.* (c) *Ubi enim hoc axioma jam latet; Qvod* JCti erubeſcunt ſine lege loqvi? Novum retorqvendi modum *juri incongnitum, & nulla Dd. anteriorum avctoritate munitũ ſiccine licet obtrudere; ſub ſolius* utilitatis *velamine; non habita* honeſtatis & juſtitiæ *ratione? Qvod* rectum & honeſtum (*addo juſtum*) *&* cum virtute eſt conjunctum; id ſolum opinor bonum (*utile*): *qvia nihil bonum* (*utile*): niſi qvod honeſtum, *inqvit* Cicero 1. *paradox. Et ad* Attic. *lib.*10. Semper *enim* in conventionibus non ſolum, qvid liceat, conſiderandum; ſed etjam qvid honeſtum *l.* ſemper 197. *R. J. Qvia non* modo neminem lædere: *&* ſuum cuiq; tribuere; *ſed etiam* honeſte vivere *debemus. Aſt qvemlibet ſibi* privatam, avctoritate privata, *extra caſum* necesſitatis vindictam, *de eo, a qvo ſe læſum forte conqveritur, pro ſuo arbitratu, & qvidem* contra abſentem *ſumere, nec* honeſtum *eſt, nec* juſtum, *nec* legitimum. *Abeat igitur* & hæc, *donec ſe probatam faciat, è foro* circumſtantiæ: *De qva ſummi* JCti Dn. Bachovii *lubet epiphonema ſubjicere:* Et tamen receptum eſt, *inqvit*, ut non tantum in continenti

nenti, ſed etjam ex intervallo; nec tantum ab ingnorante, ſed etjam qvi ab initio ſcivit; nec tantum verbis, ſed etjam litteris per Notarium & teſtes injurias alteri liceat retorqvere; qvod qvidem qvam alienũ ſit à jure noſtro dubitari non decet; *in not. ad* Treut. *vol.2. cl.30. th. fin. de Iniur. Qvem ſeqvitur, & probat eisdem ipſius adlegati verbis uſus* Dn. Herm. Gochuſius *J. U. in* Academia Rintelhejma *Profeſſor.*

XLVI.

Sed ad finem properando, qvod *Finem Retortioni* propoſitum adtinet: non diffiteor: magnum hoc eſſe injuriis adfecto compendium: Si poſſit unica ſchedula transmiſſa, ſe à *litibus* & *ſumtibus*, aliàs in vindicandas judicialiter injurias impendendis, inmunem facere. Sed ecqvid hoc etjam hac ratione *Retortor* ejjusmodi obtineat: *ut honorem ſuum rite ſic defendat*: & criminis objecti *maculam omnem in conviciatorem reſpergat: qvi illa oneratus ſolus maneat*: *(a)* utq; conviciatorem *à pluribus injuriis evomendis abſterreat*: *(b)* Hoc vero non omnibus; immo pauciſſimis; mihi certe nullo modo, perſvaſum dabitur; & ita *Retortio* fines ſuos prætenſos non adſeqvetur.

(a) *Levicula profectò* defenſio talis, *& longe levior eſt* criminis objecti, *qvæ ab hoc* Retortionis *vulgo recepta*, *inprimis avtem* chartaceæ, *remedio petitur*, purgatio. *Hæc enim vix in trium, vel qvattuor notitiam pervenit, & ſi maxime ad plurium perveniat ſenſum; qvotusqvisq; erit, qvi maculam per convicium inſperſam, crediderit ſic* expurgatam *penitus? cum qva levitate ſchedula* Retortionis *concipitur privato niſu ab injuriam paſſo: eadem etjam ab aliis ad qvos illa non pertinet, & in qvorum ſcientiam non venit, negligetur: Interim tamen manebit aculeus, animis avditorum per objectum convicium infixus. Neq; vero magni eſt momenti, qvod Conviciator* exhinc ſit, & maneat hujjus injuriæ ſic retortæ macula conſpurcatus. *Avt enim* vir probus *eſt, avt* improbus, *in qvem injuria retor-*

qvetur. Si probus: *oportet injuriam vel re ipſa, vel* ex opinione *illius fuiſſe* veram. *Aſt* illo caſu *retorqveri neqvit, ut ipſimet fatentur Retortores:* hac vero fiet injuria magna illi, *qvem paſſus injuriam recriminabitur*, qvod mentiatur: *Cum tamen non ſit* mentitus: *&* *longe major: ſi* exaggeretur mentita, *ut vulgo loqvuntur, biſce floſculis:* ut fur, latro, proditor, &c. *cũ horum nihil ſibi competat: atq; ideo macula hæc* Retortionis hoc caſu *ne qvidem adſpergi poſſit, tantum abeſt, ut hærere qveat.* Si vero ſit inprobus, *qvod qvidem ut plurimum eſt ſtatuendum, qvi convicium facit: hic omnem illum retorqvendi laborem ſusq; deq; feret; inridebit, contemnet, & illam omnem, ut fructum ferre non poſſit, ex ſuo conviciantis animo evellet. Et qvidqvid ſit: ubi* Jus, *ubi* Lex, *qvæ* Retortioni hunc finem, *& qvod obtineri poſſit, præſcribit? In Ll. enim* 25. *&* 14. *toties adlegatis, utrum jure, an injuria* ille mentiri Dominum *dixerit, iſte* crimina in Adcuſatorem retorſerit, *nihil diſponitur: immo contrarium inde potius elicitur, qvia lex tantum intercedit pro ipſis, poſita Retortorum opinione, ne durius puniantur, Ecqvid in l.* 14. *Patronus* retorqvens honorem ſuum retorqvendo defenderit, *& ſe criminis inſontem dederit, de eo nullum verbum. Neq; in l.* 25. *dicitur, qvod per dictionem* mentiri *honorem Procurator ſuum* purgarit, *ſed qvod illum* apud Prætorem, *anteqvam cogatur à procuratione diſcedere*, adhuc purgare velit, *ut rectiſſime* Dn. Bacchovius *hic ad hæc jura reſpondet: de qva re pluribus ſupra.* (b) *Qva in ſpecie tantopere fallitur, (ſic enim juxta ipſorum etymologiam ſcribi diciq; debet.)* Retorſor: *ut nihil ſupra. Nam ſi, cui* Retortio *facta*, vir ſit probus, *non poteſt facere, qvin contra retorqveat* vere, *qvod ſibi* falſo retorſum, *(ſic cum ipſis loqvendum) erat. Si vero* Malus, *nihil certius eſt, qvam qvod ille longe dirius, & durius viciſſim, plenis ſit buccis, (ut juxta illos loqvi decet)* retorſurus, *ut* experientia & ſapientum dicta *ſuperius propoſita teſtantur. Cujjus exercitii finis hic erit tandem, ut* hic retorqvendo; ille contra retorqvendo, *defatigentur mutuis conviciorum certaminibus ambo, & non modo à priori injuria ſe* retorqvens *non expediat, ſed pluribus aliis ſubſeqventibus ſe involvat: Convitiatori ſe ludibrio exponat, & tandem plus ſatis ſtercore conviciorum onuſtus, à certamine diſcedere neceſſe habeat. Teſtem*

ſtem hujus proceſſus produco Dn. Obrechtum, *qvi in dicto ſuo Tractatu de* neceſſaria defenſione *cap. 2 in fin. conqveritur; qvod* hodie proteſtationibus, & illis, qvæ his obponuntur, nihil freqventius; *qvæ plerumq; non tantum* excipiendo, *ſed etiam* replicando *fiant; nec conſideretur: an is, qvi primo injuriam intulit, verum dixerit, an falſum: ſed* ſolo vindictæ ſtudio tàm proteſtationibus, qvàm antiproteſtationibus *pleriq; tempus inutiliter perdant.*

XLVII.

Sic igitur *forma*: & *fine Retortionis* ſublatis, de *effectu* non eſſet, ut deſudaremus, neceſſe; niſi & hic obcurreret, pro qvo, tanqvam pro aris & focis, utut legibus cavtum nihil hac de re ſit, depugnari ſolet. *Leviora*, ſed [illegible]noto vaniora ſunt illa: qvod *Retorqvens conveniri à convitiatore injuriarum neqveat: (a)* Qvod *retorqvendo plane expurgetur contumelia*, & criminis objecti ſuſpicio. *(b) Gravius*: ſed tanto difficilius creditu: *Qvod idem effectus Retortionis ſit, qvi Sententiæ, & rei judicatæ: (c)* & qvod *Retortionem* paſſus, *oneretur injuria alia*: qva opinio ipſius per mendacii objectionem maneat apud honeſtos, donec objectum crimen probet, prægravata. *(d) Graviſſimum* vero, & minime omnium ſibi conſtans hoc commentum: qvod *retorqventi non detur regreſſus: (e)* per *actionem injuriarum* ad injuriam vindicandam (*f*) Qvia *Retortio actiones injuriarum exſtingvat Omnes omnino. (g)*

(a) *Nuſqvam hoc in legibus eſt cavtum, neq; in d. l. 25. Dominus prohibetur injuriarum agere contra Procuratorem ſibi injurioſe, & inciviliter contradicentem: ſed hoc tantum qværitur & deciditur. Ecqvid cogatur* Procurator *à procurationis officio decedere, priuſqvam* honorem ſuum *contra Dominum* purgarit. *Sic in d. l. 14. non id qværitur: Ecqvid* Libertus *injuriarũ agere neqviverit contra Patroni filium, ſed hoc tantum: Ecqvid propter* Retortionem *debeat ſucceſſionis jure privari?* Qvod igitur lex non cantat, *ut vulgo*

Dd. loqvuntur, neq; nos cantabimus. (b) *Hæc & ejjus generis alia comminiſcuntur Dd. magno plavſu, ſed* ſine ulla lege, *&* ſine ratione; *ut iam ante theſi præcedente dictum. Unicum hoc ipſis obſtat: qvod non facile reperire qveant: qvibus hæc ſui cerebri commenta perſvaſa faciant. Miſeret me* Populi, Senatus, *&* Plebis Romanæ; *tot Legum, tot Imperatorum; Prætorum & Prudentum: qvi tam curioſi in modis coërcendi convicia, honorisq; contra* injurias verbales *defendendi fuerunt*, *qvod hoc tam promtum, & tam expeditum curandi vulnera injuriarum remedium veſtigare non potuerunt! Si* Paraſiti Alexandrini (*de qvo ſupra part.2 th.20. lit. a.*) *tempore hic macularum calumniæ tam pure abſtergendarum modus fuiſſet exploratus; fruſtra fuiſſet ille in præcipiendo: qvod* calumniandum eſſet avdacter, qvia ſaltim cicatrix hæreret; *cum* hæc *etjam* cicatrix *ita poſſit* illa *nuper* deſtillata *à qvibusdam abſtergi* Retortionis aqva; *ut ne qvidem hujjus ullum remaneat indicium. Falſa enim eſt* Ariſtophanis *in* Pluto *qverela:* ὐκ ἔνεστι συκοφάντου δήγματος φάρμακον, *hoc eſt, qvod* remedium nullum ſit adverſus Sycophantæ morſum; *cum nullum hodie ſit facilius, efficacius, ſalubrius & parabilius, co qvod dicitur:* Tu mentiris ut fur, latro, &c. *Qvod momento temporis* (ſi credere fas eſt) *ſic abſtergit omnes ſycophantiæ, calumniæ, contumeliæ & injuriæ maculas, ut nihil ſuperſit; in qvo ſit* purgationis *opus ulterioris.* (c) *Sed ubi* Leges, *ubi* Edicta, *ubi* Prudentum reſponſa? (d) *Dictum de hoc pavllo ante, ſed dicenda ſunt plura: qvia magna hic inſurgit contradicentium caterva. Hic enim tanta vis* Retortioni *tribuitur, ut poſſit* infamia *notare illum: cui* retortio *obtingit. Sed hoc iterum* ſine ullo jure, ſine præcepto, ſine exemplo. Juris infamia *non poſſe notari* remaledictum *conſtat, cum certæ hujjusmodi infamiarum ſint ſpecies in jure recenſitæ: inter qvas hæc relata nuſqvā. Neq; vero* infamia Facti*: Qvia hæc tantum apud* bonos, cordatos, & graves viros *alicujjus opinionem boneſtā, ob* ſuum turpitudinis factum proprium: *non autem* retortione *impactum, prægravat. Propter* ſolum *enim* delictum proprium; *& hoc qvidem ex* proprio dolo, factoq; verum, *fama alicujjus periclitari poteſt: non autem propter* qvaſi maleficium; *ut pluribus conprobat* Spechan. *cent. 2. cl. 3. qvæſt. 8. Multominus igitur propter* delictum retortorium,

rium, qvod proprie delictum non eſt: ut ipſimet Retortores fatentur, ſed imaginarium dumtaxat qvidpiam, cum volunt: remaledictum non eſſe furem, latronem, proditorem ipſum, ſed inſtar illius & talem, qvi debeat ex ſuo ipſorum judicio, ut fur, latro, prædo, &c. donec aliqvid fiat haberi. Ad qvod Retorqventis decretum, plerumqve ex odio, vindicta, calore inconſulto, & aliis adfectuum turbis expromtum, cum vir prudens & probus ſe non patiatur, neq; certe debeat, adſtringi; non poteſt etjam ita remaledictus infamia tacti notari. Non enim ſeqvitur hoc: Titius Retortionis fervore plenus habere vult Sempronium pro fure, ſceleſto, latrone, &c. Ergo etjam graves boni & prudentes viri eundem ſic æſtimare volunt, vel debent. Non inqvam: Qvia Titii præjudicium adfectuum turbis præobcupatum, prudentis & boni viri, qvem recriminationis negotium hoc non attinet, incorrupto judicio, regulam de exiſtimatione Remaledicti, ſi modo alias ille integer vitæ, ſceleriſq; purus vir fuit, præſcribere non poteſt: niſi forte velint, qvi hoc adſerunt; illos, ut impenſe pernicioſos, & merito exſecrabiles, dudum ex Imperio proſcriptos opificum mores in theatrum reducere, qvi mox pro infami habebant illum: cui maleficium aliqvod ſive criminando, ſive recriminando per convicium erat exprobratum. In qvibus corruptis moribus exſtirpandis Divi Impp. Carolus V. & Ferdinandus I. item Maximilianus II. & Rudolphus II. in Comitiorum tot Receſſibus, tum in Reform. Politica de Anno 1530. Avg. tit von Handwergsſöhnen §. Es ſollen auch; qvæ repetita ibidem Anno 1548. tit. eod. Item Rec. Imper. Avg. Anno 1551. § Derowegen. Et ibidem Anno 1559. §. Es ſollen auch. Et iterum in Reform. Polit. 1577. Fran. of. tit. 38 von Handwergsſöhnen: § Es ſollen auch/ etc. plusqvam operoſi fuerunt, & jure merito eſſe debuerunt. Et licet non eam inficias: Si Maledicens cum Remaledicente comparetur, qvod hic ſtet loco meliore; non qvidem propter remaledictum, ſed qvia ſibi convicium prius ab illo factum; & huic in honoris ſui præjudicium propter recriminationem nihil, donec cavſſa congnoſcatur, imputari debeat: qvod ignoſcendum ſibi ſit, qvi ſe voluit ulciſci provocatus; ne videlicet puniatur cavſſa nondum cognita: non tamen ut ille, qvi maledixit, confeſtim loco ſuo, cavſſa nondum deciſa, moveatur (contra qvam vult

Digitized by Google

Dn Arum. *lib.2. deciſ. 13.) mihi æqvum videtur; cum utrius à parte ſtatura ſit innocentia, ſub judice lis ſit; qva pendente, ne qvidem hujjus in præjudicium aliqvid adtentari debet: qvia fieri qvandoq; poteſt ut criminis exprobratio excuſationem mereatur: ut ſupra dictum* (e) *Hujjus iterum opinionis Avctorem ſe profitetur, & pro ea fortiter pugnat* Dn. Bocerus *in Tract.* fam. libell. *c. 3. n 54. ubi nonnihil ſubcenſet Conlegæ ſuo* Dn. Harprechto, *qvi ſuum hunc omnem laborem, anteqvam ederetur, transſcribſerat in ſuos Commentarios. Eandem repetit idem cl. 4. th. 78 qvem ſeqvitur* Harpr *d. loc. n. 78. Et hunc* Berlichius *d. conc. 64 n. 38. Utrumq; vero* Beſoldus *Diſp. 2. de injur. th. 29. Rationes* Boceri *d. c. 3. prolatas perluſtrare lubet.*

Qvarum prima hæc *eſt:* Qvi vult actionem injuriarum inſtituere adverſus conviciatorem; illum oportet injuriis, qvibus ab illo ſit adfectus, adhuc oneratum eſſe. *Sed* qvi retorſit in conviciatorem injurias ſibi ante inlatas, is nullis amplius eſt injuriis oneratus. *Ergo* non poteſt injuriarum actionem contra conviciatorem inſtituere.

Propoſitionis *connexio poſſet improbari; cum ſufficiat illi, qvi injuriarum agere vult; ſi ſit injuriis ab adverſario adfectus; nec reqviritur: ut his ſit oneratus; cum* vir bonus onerari conviciis, qvo ad ſe, non poſſit. *Sed converto me* adſumtionem: *qvæ probationis indiga, qvam profert ex avctoritate L. notiſſimæ,* 25. Procur. *in qva vult hic adſertum eſſe, qvod* Procurator, *eo ipſo, qvod dixit:* Dominum mentiri, purgarit convicium & pudorem ſuum, *ut nihil ex illo convicio ſuperſit: Cujus cavſſa Dominum convenire poſſit. Sed hæc interpretatio, qvod pace tanti ſit viri dictum, niſi violenter exprimatur, hic locum non habet, ut ſupra non ſemel dictum. Nam ſi* convicium & pudorem *hoc ipſo dicto* purgaſſet *Procurator:* Prætoris diſtinctione *opus non fuiſſet amplius; utpote re controverſa per* retortionem *compoſita. Et ſi* pudorem *atq;* convicium purgaſſet; *jam ſtatim debuiſſet à procurationis officio abire, qvia* ferendus non fuiſſet, qvi ſibi procurationem voluiſſet adſerere Domino invito; *cum hoc ipſo ſuſpectus eſſet. Verum* Ulpianus *dicit: illum adhuc aliqvandiu, anteqvam* procuratione careat, ferendum

rendum eſſe; *non, qvia* purgaſſet jam convicium & pudorem; *ſ qvia hoc facto mox procuratione carere debuiſſet, nec ferendus amplius* fuiſſet, *ſed qvia adhuc in animo haberet, convicium priuſqvam careret* procuratione purgare; *& qvidem* apud Prætorem, *qvi de hac injuria, & pudoris ſui violatione: item de inofficioſa contradictione congnoſcere deberet. Nihil igitur hac lex ad rem facit, ſed* Adſumtione *non probata, concluſio deficit.*

Secunda *talis:* Qvi jam ante à convitiatore pro injuriis ſibi factis vindictam popoſcit: ſibimetipſi ultor jure exſtitit: & qvi ipſe ſibi jus dixit; is ampliorem actione injuriarum vindictam expetere, & judicis avctoritatem implorare non poteſt. *Sed qvi* injuriam retorſit, *is* jam ſibi ab injuriarum avctore vindictam popoſcit; ſibi jure ultor exſtitit; & ſibimetipſi jus dixit. *Ergo &c.*

Propoſitionem *largior. Adſumti* partem priorem *nego, fretus hoc* proſyllogiſmo:

Qvi defenſioni neceſſariæ & inculpatæ dat operam: is hoc tantum agit: ut ſe contra vim tueatur, & ab omni vindicta abſtineat.

Sed qvi retortioni ſtudet; is defenſioni neceſſariæ, & inculpatæ dat operam:

Ergo retorqvens omnis vindictæ *expers eſt & eſſe debet.*

Propoſitio & Adſumtio *dependent à traditione Doctorum omnium, qvi* retortionis *dogmati calculum adjiciunt: Ergo* concluſioni *contradicere non poſſunt: Ubiqve enim hoc inculcant: qvod* Retortio *ſit ſpecies* neceſſariæ defenſionis; *qvæ tantum intra* defenſionis neceſſariæ *terminos ſe continere, non in ultionem prorumpere debeat. Qvod præter alios probat* Dn. Obrechtus *d. c. 2. num. 17. & 18. ubi poſt* Jacob. Schult. *in addit. ad* M. Piſtor. *qvæſt* 128. *num.* 28. 49. *& 50 hoc contendit; qvod hæc* Retortio omnis vindictæ expers eſſe debeat: *eamq; ob cavſſam* Schraderum *ſecus ſentientem reprehendit.*

Qvod ſi verum eſt, ex ipſorummet placitis; ſeqvitur falſum eſſe, qvod Retorqvens vindictam *ſibi de injuriante ſumſerit. Qvia*

defen-

defenſio neceſſaria, & ultio, *vel* vindicta *ſunt obpoſita*, *qvæ* ſimul in eodem conſiſtere, ſecundum idem, ad idem, & eodem tempore non poſſunt. *Qvamprimum enim* defenſio neceſſaria *limites ſuos in* ultionis *campum transgreditur*; *non amplius eſt* licita defenſio, *ſed* vindicta prohibita *& punienda*. *Pars* adſumti poſterior dependet *ex prædictis*: *Qvi enim ſe continet intra limites* neceſſariæ defenſionis, *is* vindictæ jus *ſibi non ſumit*; *multominus ſibimet* ipſi, ſe ulciſcendo, jus dicit; *ſed tantum ſe* defendit, *& ultionem* officio *Judicis inlibatam conſervat*; *qvod poſt evitatum periculi diſcrimen implorare non prohibetur.*

Tertia *ſic habet*: Qvoties ex uno eodemq; facto plura juris remedia ſunt comparata, non tantum ad eandem rem, ſed etjam diverſas ſpectantia; eorum unius uſu alterum abſorbetur.

Sed ex injuria verbali *duo competunt remedia*: Retortio, *&* actio injuriarum *ad eandem rem*, contumeliam *ſcilicet* amovendam, *ex qva oritur actio injuriarum, tendentia. Ergo adhibito* retortionis *remedio ceſſat alterum, & contra. Si* propoſitionem *velit ita dilatare* Dn. Bocerus, *ut locum obtineat, etjam, ſi remedia* ſint diverſa, *& ſpectent* res diverſas, *ut loqvitur d. c.* 3. fam. libell. *num.* 53. *obpono ipſi* Bocerum *cl.*6. *Diſp.* 11. *th.* 5. 6. *& ſeqq. docentem*: qvod ſi concurrant actiones plures circa eandem qvidem rem; ſed qvæ res ſpectent diverſas, qvod harum una, non conſumat alteram: *immo* ſi una qvis egerit leviore, non impediatur & alteram movere: *ſi ſit in illa plus conſecuturus d. loc. th.* 28. *Sed nolo hoc urgere pluribus, cum* Harprechtus *id conſpicatus, præterierit hanc clavſulam*: *ſit igitur* propoſitio *ſic reſtricta*: *ut*, ſi ex uno eodemq; facto ad rem eandem, diverſa competant remedia, alterutro dumtaxat uti liceat.

Nego igitur jam adſumtum. Propoſitio *enim loqvitur de Actionibus, qvæ plures* ex eodem facto ad rem eandem *perſeqvendam reſultant*, ex jure depromtæ. *Sed* Retortio, nec ex jure Romano *deſcendit*; *cum ſit inviſa* Juriſpr. Romanæ, *ut antedictum*; nec actionis nomine venire poteſt; *tantum abeſt*; *ut* ex facto (*injuria inlata*) *reſultet*. Retortionem *non eſſe actionem conſtat*: *qvia non poſſumus aliqvid perſeqvi per illam in judicio, qvod nobis debitum ſit*: cum res ſit

ſit extrajudicialis. Ex convicio *qvidem illius*, *qvi facit illud, reſultant* actiones duæ injuriarum: una civilis, altera criminalis, *qvarum altera conſumit alteram: qvia verſantur circa* rem eandem, pœnam ſcilicet promeritam *perſeqvendam. Sed* Retortio *non oritur ex convicio; verum aliunde, &* per accidens *qvidem*, *non ex* facto injurioſo *facientis, ſed ex alio, nimirum illius, qvi paſſus eſt injuriã, molitione*, ex impatientia & libidine vindictæ *reſultante: qvæ cum ipſo qvidem injuriæ partu prodit ſimul, ſed aliunde, & qvidem* incidenter *ex animo injuriam paſſi* male diſpoſito; *cujus factum intermitti potuiſſet: certe jure debuiſſet. Et qvid reſpondebitur* Harprechto, *qvi d.* §. *hæc actio num.* 156. *& num.* 175. *ſtatuit, qvod* retortio ſit inſtar exceptionis? *id qvod vero propius: ſi alterutrum eſſe, ſit neceſſe.*

Falſum *etjam hoc eſt: Qvod* ambo illa, *ut* Harpr. *d. loc. num.* 82. *loqvitur*, remedia *conpetant* ad unam eandemq; rem, ſive finem: *videlicet* ad contumeliam expellendam, *vel amovendam. Sane ſi* Retortio *eſſet id, pro qvo venditatur vulgò, nimirum* neceſſaria contra vim injuriæ defenſio: *finis qvidem illius eſſet, ut contumeliam impendentem* (*nondum factam*) *ne perfici poſſet, repelleret, & amoveret. At* actiones injuriarum *hunc ſibi ſcopum habere propoſitum, id vero eſt, ne qvid dicam gravius*, incommodiſſime dictum. Actiones enim injuriarum, *utpote ex maleficio deſcendentes*, ſunt pœnales, *qvæ verſantur, non circa* contumeliam amovendam, *qvæ dudum* (*non* retorta, *ſed*) facta & perpetrata *fuit*, *&* infecta fieri, *vel* removeri *neqvit*; *ſed circa* pœnam pro contumelia facta commiſſam perſeqvendam; *in hunc finem, ut* contumeliæ maleficium, *non amoveatur, ſed* puniatur & vindicetur, *& ne poſtea fiat amplius, coërceatur. Libellus enim injuriarum non ita formatur concludendo, ut Judex contumeliam Actori injectam expellat, vel amoveat; ſed ut illam, utpote contra jus patratam, ſevere puniat.*

PRO DN. NEBELCRAJO
contra
DN. BERLICHIUM.

(f) *Qvod ego* à Juris Romani *diſciplina alienum & contra* ſanæ rationis

tionis

tionis *dictamen invectum puto: Et hac in re præclari nominis virum* Dn. Henricum Nebelcrajum JC. Acad. Gieſſenæ Profeſſorem *in dec. ſua* 18. *adſtipulatorem habeo: qvi nititur hoc potiſſimum argumento, ad qvod jam ante aliqvoties in hoc diſcurſu, tanqvam ad ſacram me recepi ancoram:* à lege ceſſante: & qvod erubeſcamus ſine lege loqvi. *Qvia certius nihil eſt, qvam qvod apice Juris ne minimo qvidem hoc, qvod hæc vulgo recepta* Retortio (tu mentiris) ſit modus tollendi obligationem *ex injuria prolata profluentem, probatum dari poſſit. Hoc fundamentum ſubverſurus* Berlich. *d. conc.* 64, *num.* 43. *regerit: qvod non tantum* illi modi injuriarum obligationem tollendi, *qvi in Jurisprudentia* Romana Juſtiniana *reperiuntur*; *ſed etiam alii, qvi hodie* in uſu & communi praxi *inveniantur*, etſi in jure non expreſſi, *ſint obſervandi. Qvod mihi qvidem ſatis inconſiderate, ne qvid dicam durius, dictum videtur*; *qvi hucusqve fui in hac hæreſi: Qvod Judicis* officio *hoc præſcribtum ſit, & qvod* Judex inprimis illud obſervare debeat: ne aliter judicet, qvam legibus, avt moribus proditum, diſcernere poſſit; *qvod præcipit* Juſtinianus *in pr.* 1. off. judic. *Aſt* legibus (*utor hac voce generaliter pro* omni jure ſcribto) *hoc dogma proditum non eſt. Si* moribus *hoc volunt probatum Adverſarii, nobis negantibus ipſis incumbet probatio. Qvod enim hoc in* uſu, & communi praxi *inveniatur, negamus. Et ſi forſan aliqvid in hanc rem proferri poſſet:* Praxis *illa, vel* uſus qvorundam paucorum Advocatorum, vel Judicum, conſvetudinem non facit, ſed tacitus populi in Imperio Romano conſenſus, longævis moribus, ex æqvitatis intuitu, non ex errore Juris, introductus. *Ubinam avtem hæc* conſvetudo; *hi* Mores? *Qvamvis enim adlegentur à* Dn. Bocero: Bartolus *de Saxofer. &* Alciatus *in conſiliis duobus: hi teſtes ſunt in conſiliis ſuſpecti, ex qvibus duobus* communis opinio *nulla: multominus* praxis *derivabitur* communis. Guilhelmus Onciacus, *qvem producit* Bocerus *idem, ex qvæſt.* 4. *num.* 5. *vix ante annos XL primum in* Germania *viſus, cujus apud* Practicos *avctoritatem adlegatam, ex qva prodierit hæc* opinio, *ferme nullam adverti. Ne dicam: qvod vix tribus verbis, & his qvidem ſat obſcuris, in hanc* opinionem, *hac unica niſus ratione*

inclinarit, qvod dicens, tu mentiris, *ipſe* ſibi jure Judex exſtiterit, & ultor. *Id qvod de* ultore *verum non eſt, cum* retorqvens *dicendo*, tu mentiris, *tantum in terminis verſetur* defenſionis; *ne* qvodammodo verum eſſe, *qvod objicitur*, conſcientia facti adſentire deprehendatur, *ut hactenus recte* Onciacus *d. loco. De* Judice *plane falſum, cum qvi ſic incontinenti dicit*, Tu mentiris; *nullam exerceat (hoc enim Dd. vulgò negant)* vindictam: *multominus* judicet *qvidqvam*; *ſed potius his verbis ad judicem provocet, qvaſi dicat:* qvod tu dicis in me, falſum eſt, & à te doloſe confictum, cujjus legitimus vindex ero, &c. *Contra patet ex* Dn Bocero, *qvod ipſemet hanc opinionem, & qvidem* primus *circa Annum ſalutis* clↄ IↃC XI. *invexerit; qvando* neminem ſciverat *hactenus* hanc, ante ſe, *plene tractaſſe qvæſtionem; à qvo tempore intra ſeptennium, Anno* 1618. *qvo ſuas promulgavit* concluſiones Berlichius, *non potuit* hæc opinio communis: (*multo minus* conſvetudo) fieri: *cum interim fuerit à* Dn. Nebelcrajo *viriliter obpugnata, & contrarium à* Dn. Schradero, *ſummo alioqvin* Retortionis *patrono, ſit ante annos plures, qvam ſexaginta in d. conſ. num.* 77. *concluſum. Et qvid de noſtra futurum eſt Jurisprudentia: Si* Doctori *huic, vel illi, qvantumvis nomine celeberrimi*, novas, *& qvidem* cardinales leges, *circa* modos adqvirendi vel amittendi, *qvæ ſumma juris Romani capita, l. fin. legib. figere, vel refigere (qvo enim jure illud: eodem hoc eſſet permiſſum) licebit? Et cur non illi hoc argumentum*, à lege ceſſante, *qvod altis radicibus eſt legibus noſtris infixum, ex topicis legalibus eradicatum eunt, ſi poſſunt? Qvamdiu enim hoc manebit fixum: tam diu ſtabit* Dn. Nebelcraij *argumentum, de qvo, ſi lubet. plura apud eundem in d. deciſ. ſua* 2. *videre licet.*

Interim nihil movet id, qvod Berlichius *per* inſtantiam *ex ſua concl. ſubſ.* 70. *theſ.* 25 *prætendit. Non enim hoc adſerit* Nebelcrajus, *qvod unico in illo* §. *fin. Inſt. Injur. omnes hujjus generis modi ſint incluſi, ſed* qvod certi ſint modi in jure noſtro paſſim pro re nata conſtituti; *inter qvos, in unam conlectos ſummam, non reperiatur* Retortio vulgaris *illa, à qvibusdam* pro modo

Digitized by Google

tollendi injuriarum obligationes *noviter ſine ullo juris indicio, ven-ditata. Neqve de eo valde ſollicitos eſſe decet Juris ſtudioſos*, qvos & qvot D. Berlichius injuriarum obligationes tollendi modos, (*hæc enim eſt petitio principii*) tradiderit; *ſed* qvos *&* qvot legibus demonſtrare *poſſit. Qvinam vero illi, qvi præjudicio nobis eſſe poſſint?* Pactum *enim* transactio, ſatisfactio, Juramentum, *ſunt modi Juri civili non incogniti, ut probat* Dn. Bocerus *d. cl.* 4. *Diſp.* 4. *th.* 75. Pœnitentiam *verò, &* Retortionem *qvod attinet; ſcio qvidem, qvid ſub* ditionibus Saxonicis *placitum ſit*, Dicaſteriorum ſummorum *Conſtitutionibus. Extra qvas neq;* Pœnitentiam, *neq;* Retortionem *pro modis tollendi injurias adgnoſcit, ne qvidem* Bocerus *ipſemet d. Diſp.* 4. *th.* 79. *Et de* fam. libell. *cap.* 3. *num.* 41. *Et qvidem eodem uſus argumento, qvo nititur* Nebelcrajus, *qvia videlicet* avctoritas juris pœnitentiam injuriæ revocatoria non connumeret modis tollendæ obligationis injuriarum *num.* 42. Retortioni, *ſi qva ſit, &* Injuriarum actioni *non eundem eſſe finem propoſitum, ſed ad diverſum tendere utramq;: illam id agere, ne* in præſentia aliorum, convicio alicujjus delicti proſciſſus, id videatur tacendo confiteri, vel diſſimulare: hanc *vero tendere* ad ſatisfactionem, vel ad perſeqvendum id in judicio, qvod ſibi debetur, *id rectiſſime dictum puto, à* D. Nebelcraijo: *Negat* Berlichius, *& non ſatis modeſtè*, falſum *dicit* utrumqve. Prius *hac ratione conatur evincere*:

Si Retorqventis finis eſt, ut ſe purget; non id ſibi propoſitum eſt; ut neget ſe criminis objecti reum, ne videatur id tacendo fateri:

Sed prius *eſt verum: Ergo &* poſterius.

Propoſitionis *eſt lubrica immò* nulla connexio; *in qva committitur* elenchus oppoſitorum: *qvando* ſe purgantem *oppon it illi, qvi* negat ſe reum eſſe criminis objecti. *Aſt hæc revera ſunt* conſentanea, *qvæ ſimul ſtare* in eodem poſſunt, reſpectu ejjusdem, ad idem & eodem tempore. *Qvi enim negat* ſe reum eſſe delicti, *qvod ſibi per convicium eſt exprobratum, is eo ipſo ſe* purgat *hujus delicti. Et* contra: *qvi ſe* purgat, *is nihil aliud agit, qvam hoc: ut* macu-

Digitized by Google

ſam honori vel famæ ſuæ *per convicium adſperſum*, abſtergat. *Aſt qvi hoc facit, is negat ſe reum eſſe criminis illius, cujjus inſimulatus erat à conviciante.*

Sed probetur adſumtum; *Textus inqvit* Berlichius *in l.* qvæ omnia 15. Procur. *Ex hoc textu vulgo unica illa vocula*, purgans *à Dd. ſine ullo ſenſu*, *qvi ex contextu depromendus erat, abripitur. Sed dato; qvod ſe qviſpiam* purgare maluit; *vel qvod ſit* purgans: *Qvis igitur is eſt, qvi* purgare convicium *vel* pudorem mavult? Procurator, *cui Dominus objecerat*, qvod conluderet cum ſuo adverſario, *Qvomodo ſe* purgare mavult? *Hoc lex non declarat, ſed hoc tantum dicit; qvod hoc* (purgare) *coram* Prætore finiri oporteat; *& qvod interea* ferendus ſit Procurator in exſeqvenda procuratione, donec ſe purgarit: *alioqvi* non ferendus, *niſi ſe* purgare *vellet. Aliud nemo ex hac lege ſine calumnia exſculpet, ſcio. Et qvid prodeſt id amqvirere, cum* purgare *non ſit idem*, *qvod* retorqvere. *Et cum in h. l. vocis* Retorqvendi *vel* Retorſionis, *ne ſyllaba qvidem obcurrat? Verum inſtabit aliqvis: Qvod Procurator forte dicturus ſit (non enim lex dicit, qvod dixerit, ſed ſi dicat: h. e.* dicere velit, vel poſſit) Dominum mentiri. *Audio hoc. Ergo dicere*, tu mentiris, *idem eſt, qvod alibi in d. l. 14. dicitur:* retorqvere crimina? *Qvomodo vero hoc unqvam probatum dabitur à qvoqvam?* Retorqvere *enim ex ſua natura notat aliqvid; qvod cum* emiſſum, extortum, vel intortum *erat* rejicitur, vel repellitur in emittentem, *vel* intorqventem. Mentiri *vero, in ſtrictiore ſignificatu, nihil eſt aliud, qvam*; mala fide eloqvi aliqvid, *ut* verum, *vel* ſub veri ſpecie: *qvod verum non eſt; ſed* falſum. *Præſuppono enim hic illud hujjus verbi ſignificatum*, qvod cum mala fide junctum: *qvamvis hoc de propria hujjus verbi natura nolint eſſe Dd. neq; ſit forte hoc in loco. Sed eſto: qvod illud Procuratoris* mentiri *hujjus ſit notationis qvi cum dixit* Dominum ſuum mentiri, *ſiqvidem* retorqvendi *animum habuiſſet, debuiſſet dicere:* non ego, ſed tu conluſiſti cum adverſario tuo. *Hoc enim eſt* retorqvere, *& ſic crimina ſibi objecta Procurator* retorſiſſet *in Dominum ſuum. Cum autem Dd. hoc nolint, neq; dicere avſint, ſiqvidem illud* conludere *non congruit Domino, & nihil enim aliud poſſunt fingere; à Procuratore reſponſum eſſe, qvam hoc:* Ego

Digitized by Google

verò non ſum ille, qvi cum tuo conluſerit adverſario: tu falſo, vel calumnioſe, & contra tuam ipſius conſcientiam mihi hoc impingis: Ego honorem meum coram Prætore purgabo, nec ante diſcedam à Procurationis obficio. *Si hoc eſt retorqvere, ut Dd. perperam docent;* retorqvere *hoc alium finem non habet, qvam, qvod alias dicimus:* revocare injuriam ad animum. *Et hoc agere:* ut contradicatur conviciatori, *ne auditores, ſi injuriam paſſus taceat; vocent illum in ſuſpicionem, ac ſi criminis objecti ſibi conſcius eſſet.. Judicium ſit penes omnes Judicii ſani: ecqvid alius poſſit ex* Procuratoris hoc ſuo Mentiri *ſenſus exſculpi. Qvo poſito, ſeqvitur* hunc Procuratorem *crimen, qvod retorqvere* poſſet, nullum habuiſſe, neq; retorſiſſe ullum. *Qvod ſi inſtet* Berlichius: *Procuratorem ſe per hoc dicendo,* Mentiris, purgaſſe *ab hoc crimine, & qvod finis* Retortionis, *per,* tu mentiris, *non ſit* proteſtari de ſua innocentia, & dicere: ſibi convicium hoc falſo fieri, *ſed potius* ſe purgare ab illo. *Qværo: qvis igitur* hic purgandi modus, *ex hac lege depromtus? Non alium dabunt, qvam qvod* Procurator *dixit:* Dominum mentiri. *Aſt qvid* Mentiri *eſt aliud, qvam hoc dicere, qvod jam dictum? Nemo, iterum dico, alium ex hoc verbo ſenſum expreſſerit. Sed* ô purgationem *miſeram!* Purgare *eſt omnes abſtergere ſordes: ut res* purgata ſit plane pura: *in qva nullum ſordis ullius adpareat amplius veſtigium. Aſt cui perſvadebitur ſano, iſta vere* imaginaria purgatio! Avt ſtolidos, avt invidos *oportet eſſe omnes* Ulpianos Papinianos, *& alios omnes hujus generis! qvi avt ignorarunt hunc tam expeditum ſe* purgandi ab omni injuriæ macula modum: *avt eundem nobis obcultarunt. Qvid opus fuit apud Prætorem hoc finiri, ut hæc l. 25. diſſerit? qvid opus* Divis Impp. *tam fuiſſe in conſtituendis diverſi* generis injuriarum actionibus *curioſis, ſi potuit qvis unius voculæ prolatione* (tu mentiris) *ab omnibus* injuriarum verbalium graviſſimarum maculis, & ſordibus *ſe confeſtim, & momento temporis* expurgaſſe, *ut nihil illarum* vel hili, vel pili (*qvæ ſunt* Harpr. *verba*) *remanſerit? Abeat igitur illud* purgationis ſomnium, *qvod in ſolo, dicere,* tu mentiris, *verſatur.*

Poſterius Berlichius *ſic infringere laborat:*

Si judicialis injuriarum perſecutio *potius ad* vindictam *tendit,*

non

non eſt ipſius finis; Satisfactio. *Sed* prius *verum. Ergo &* poſterius.

Propoſitio *laborat eodem elencho, qvo ſuperior.* Satisfactio *enim generale nomen eſt, qva dicitur alicui agenti, vel acturo ita ſatisfieri, ut ea ſatisfactione contentus adqvieſcat. Et ſic actione injuriarum utitur injuriam paſſus*; ut ſatisfactionem *pro eo, qvod ſibi ex his actionibus eſt debitum, ſibi comparare poſſit.* Vindicta hic *eſt perſecutio pœnæ delicto cuipiam infligendæ; qvam agendo perſeqvitur is, cujus intereſt illam eſſe exſecutioni mandatam.* Vindicta *igitur eſt* ſatisfactionis ſpecies, *ut qvi tendit* ad ſatisfactionem, *poſſit* vindictam perſeqvi, *qva ſibi* ſatisfaciat. *Et qvi tendit* ad vindictam, *is hoc agat, ut ſibi* ſatisfactio, *qvæ ſua actione ſibi competente continetur, præſtetur. Inepta igitur in* propoſitione vindictæ *&* ſatisfactionis *obpoſitio; inter qvæ hactenus differentia, niſi ratione* generis & ſpeciei nulla; *cum* actio injuriarũ verbaliũ *tendens* ad vindictam, *tendat etiã* ad ſatisfactionem, *qvia* poſita ſpecie genus neceſſario non ponendũ. *Sed* Adſumtio *probanda.* Probatur per text *in l.* Prætor (*non ait: ſed*) edixit. 7. §. 1. *injur. Sed hic nihil ad hunc rhombum. Agitur in illo* de reali injuria *ejjusmodi: cujjus* vindicta *etjam incidit in crimen aliqvod* publicũ, *vel legem* Aqviliã, *ſed non æqvo jure; verum ita, ut qvandoq; crimen ſpectet* principaliter *ad judiciũ* publicũ; *non* principaliter *ad legem* Corneliã vel Aqviliã: *Interdum contra; ut* principaliter *delictũ vindicari debeat in l.* Cornelia *injuriarum: vel* Aqvilia, *non* principaliter *in Jure publico: ita ut* in his *præjudicare liceat judicio publico: non item* in illis. *Sed qvod hoc ad* injuriam verbalem; *cujus* vindicta *ſoli* actioni injuriarũ civili vel criminali *vindicanda relinqvitur? Qvorſum igitur illæ, de* ſecundario, *de* acceſſorio, *de* principali &c. *hic interſperſæ non adeo ſubtiles loqvelæ? Et qvorſum hoc, qvod* injuriarum actio ad vindictam *tendat, hic eſt* ſingulare? *cum paullo ante etjam* Retorſioni *hoc datum; qvod ad vindictam tetenderit? Qværo igitur: cum utraq; tendat ad* vindictam: *qvam* vindictam illa, *qvam item* hæc *exerceat? De* actione injuriarum *non eſt difficile reſpondere: qvia perſeqvitur* pœnam, *qvam lex inflixit injuriam facienti. Sed qvã* Retortio vindictã, *& qvam* pœnam *perſeqvitur: dic ſodes! Si reſpondebis:* mentitã (*ut barbare loqvuntur*)

dam-

dando, *qværo*; *qvæ* lex, *qvis* Prætor, *qvis* Imperator *hanc* pœnam *dictarit*? Nullus & Nemo. *Et regero hic*: *Si* Retortio *eſt*, *&* *eſſe* *debet mera* defenſio, *qvam* neceſſitas *ſecundum* jus naturæ *expreſſit*, *ut vulgo ex l.* ut vinc. *demonſtrare Dd. volunt*: *qvomodo illa ſit etjam* vindicta, *&* *ad* vindictam *conparata*? *Et qvam ἄλογον hoc eſt*, *qvod* delictum *ſit* principale; pœna *vero*, *vel* vindicta *ſit* acceſſorium. *Cũ utrumq; ſit æqve* principale, *qvamvis illud* natura prius; *Et cum* vindicta, *vel* pœna *non à* delicto, *ſed à* Judice, vel lege *vindicante dependeat*. *Sed longe hoc incommodius à* Berlichio *prolatum*, *qvod* actio injuriarum *ad* vindictam, *&* contumeliam removendam *conpetat* principaliter, *ad* æſtimationem verò acceſſorie. *Qvod actio injuriarum conpetat ad* vindictam principaliter *concedo*; *qvod avtem conpetat etjam ad* contumeliam removendam; *id ubi dictum*, *vel ſcribtum*, *neſcio*. *Qvod conpetat* ad contumeliam vindicandam, & puniendam, *probo*; *ad* removendam *nego*. *Qvia* vindicatio & punitio contumeliæ *locum non haberet*: *ſi illa jam* remota *eſſet*. *Qvia oportet Judici*, *qvod vindicare debet*, *eſſe* objectum, *non* remotum. *Vanum igitur eſt de* æſtimatione, qvod *acceſſoriè ſubcedat*, *Juſtinianus aliter nos docet in* §. In ſumma I. *de* injur. *Siqvidem*, *inqvit*, civiliter agatur, æſtimatione facta, ſecundum qvod dictum eſt, pœna reo imponitur. *Ubi hic ſit mentio*? ficitii illius principalis; *de* contumelia removenda? *Et qvomodo qvæſo* removeri *poteſt*, *ut* non factũ, *qvod* factum eſt jam dudum? *qvænam* removendi *forma*? qvis modus? Actor, *exempli gratia*, Judicem *ſic conpellat*: Titius mihi convicium in plurium præſentia fecit; qvod æſtimo CC. florenis: peto illum in ſummam æſtimatam, ſalva tua moderatione, condemnari. *Qvibus in verbis*: *qvo loco latet*, *&* *petitur*, remotio contumeliæ? *Sed inqvit* Berlichius: Retortio, *qvæ in* locum actionis injuriarum eſt adinventa, *contumeliam iſtam* removet. *Verum qvæ* lex: *qvis* Imperator, *qvis* Prætor *hanc actioni injuriarum* ſubſtituit? Nemo. *Sed poſito eo*: *Qvomodo* Retortio *poteſt* removere, expellere, *vel etjam* expurgare contumeliam; *qvæ dudum* facta *erat*, *&* perfecta? *Avdi* Onciacum *à te laudatum d. loc. num.* 1. *dicentem*: Eadem prope eſt, ne non ignoſcatur propulſatio, ſed vindictæ nomen. *Nam* ſi percuſſus aliqvis

conti-

Digitized by Google

continuo repercuſſerit; non propulſavit injuriam: qvæ cum jam inata ſit, pro infecta haberi non poteſt. *Hæc* Onciacus. *Eadem ego ratione dicam:* Si maledictus qvispiam continuo remaledixerit: non propulſavit maledictum, ſev convicium, vel contumeliam: *qvia cum hæc inlata jam ſit; pro non inlata haberi neqvit: &* qvod factum eſt, nulla conſtitutione poteſt infectum fieri; *ut ſupra probatum part. 2. th. 16. Inprimis hoc nervoſum eſt* Dn. Nebelcraji *argumentum:* Si agentium actus ultra ipſorum intentionem nihil operantur, *per l.* non omnis. 19. *pr. Reb. cred.* & ex poſt facto, ſi Retorqvens actione injuriarum experiri velit, id adpareat; qvod retorqvendo id non egerit: ut actionis, ſibi alias competentis, jure caderet: qvod etiam ſibi hoc contra mentem ſuam imputari non poſſit: *cum ex eo, ſi convicio conſpurcatus ex iracundiæ, ut plerumq; fit, calore dicat,* Tu mentiris; *nemo qvod ſic dicens, à jure actionis injuriarum, ſibi jam competente, ſe abdicarit; hinc conligere per ullam rationem conſeqventia poſſit: cum hoc eo tempore, qvo* mentitam, *ut loqvuntur,* dedit, *non egerit; ſed hoc tantum, ut crimen objectanti, ne videretur conſentire, contradiceret. Qvod vel ex eo manifeſtum: qvod hæc* Retortio (*loqvor ex communi errore*) *ſit in favorem illius, qvi convicio proſciſſus eſt, adinventa: ut* pudorem ſuum *coram avditoribus contra crimen inpactum, ne in ſuſpicionem illius vocetur, in* continenti *excuſare, & convicio ſibi facto contradicere poſſit; qvæ ſi in odium ipſius retorqveretur: id iniqvum videbitur: cum* qvod ad gratiam alicui conceditur, non ſit in ejjus diſpendium retorqvendum. *Can. Qvod ad. 6. R. J. in. 6.*

Reſpondet Berlichius: *hoc procedere* in iis, *qvæ* principaliter fieri, & ſubſiſtere poſſunt: *ſecus* in ſecundariis: qvia actus principales agentium recte ultra eorum intentionem, etjam ad ea, qvæ ſecundario concurrunt, extenduntur. Qvid aliud eſt βαλόντα φεύγεσθαι, *h. e.* aculeo infixo recedere: *ſi hoc non eſt?* Theſin *illam debuiſſet ad hanc* hypotheſin Berlichius *adplicaſſe; ſi voluiſſet ſe intelligi.* Davus ego qvidem ſum, non Oedipus! *ſuſpicor tamen hoc ipſum velle; Qvod* Retortionis *effectus* ſecundarius *ſit:* remiſſas eſſe per illam injuriarum actiones. *Sed qværo jam:* qvis illum effectum ſecundario *adſcribſerit* Retortioni, *&* qvo jure *fecerit?*

Digitized by Google

Si refugies ad Alciat. Bart. de Saxof. Onciac. & Bocerum, *dicam:* *Hos* legem mihi figere non poſſe, nec unqvam potuiſſe. *Ex mente* Retorqventis *hic effectus non dependet. Qvænam, dic ſodes, ratio conſeqventiæ?* Titius Sempronio, ſibi atrox crimen conviciose impingenti dixit: Tu mentiris. Ergo Titius ipſi remiſit *injuriarum actiones. Nimirum.* Baculus ſtat in angulo! *Ex hoc* Retorqventis ardore, *qvo mox excepit conviciatorem, ingnominioſe contradicendo, potius hoc, ſi verum amamus, conligitur; qvod exinde animus vindictæ, per actiones legitimas ſecuturæ, tanto promtior, & ardentior ſit futurus in* Sempronio. *Et qvod per hoc ipſum potius videatur* ad Judicem provocaſſe; *qvam actiones injuriarum ſuas, qvas adqviſiverat, amiſſas voluiſſe. Falſo igitur contrarium eſſe adſertum puto, donec probetur.*

Sed ſi eſſet effectus Retortionis ſecundarius, *nimirum* Remiſſio actionum; *qvis igitur* primarius *erit?* Purgatio. *Hoc qvidem pavllo ante dictum. Sed* purgatio *non eſt* vindicta, *qvæ* Retorqventi *tribuitur. Qvomodo enim hic vindicatur* Sempronius, *qvod* Titius ſe purgavit *criminis objecti? Si verò vis:* qvod mentitæ datio; *ut illorum lingva blaterat: oſtende mihi qvâ conſeqventiæ ratione ex hac ſeqvatur, tanqvam* acceſſorium neceſſarium, remiſſio actionis injuriarum? *ſed abeant & illa.*

Seqvitur alind Nebelcraji *argumentum non minus ponderoſum:*

Si realem injuriam vi repellens non prohibetur poſt propulſationem judicialiter perſeqvi Invaſorem: Seqvitur, qvod etjam poſt retortionem idem liceat retorqventi.
Sed verum prius: *Ergo &* poſterius.

Adſumtum *non negat* Berlichius: *ſed inſurgit adverſus* propoſitionem, *qvod* ſeparata ſit ratio propulſationis injuriæ realis, à verbali. *Qvænam igitur illa? Remittit lectorem ad* Harprecht. *n.* 189. *Qvid avdio? An non* Dn. Bocerus, Harpr. & Berlich. *arcem cavſſæ ſuæ pro adſerenda* Retortione *conlocant in l.* ut vim 3. *Juſt. & Jur. An non* famam & vitam æqviparant, qvæ paribus ambulent paſſibus, *ut ſicut* vim licet vi repellere: *ſic* injuriam injuria retorqvere? *ut docet magno niſu* Harpr. *d.* §. hæc actio. *n.* 94 95. 96. Avt igitur hæc

falſa

falſa ſunt, aut æqviparatio eſt ſtatuenda, *ex opinione Retortionis Doctorum.*

Sed videatur tamen diverſitatis ratio *apud* Harprechtum *d. loc.* Qvia, *inqvit* Harpr. periculũ vitæ gravius periculo famæ: cum illa nunqvam, ſemel amiſſa: hæc vero ſemper in integrum reſtitui qveat. *Ex qvo ſit:* Etſi vitæ inſidiatorem licet interficere armis, qvod tamen hoc in famæ violatore licitum non ſit. *Recte qvidem hoc, etſi ſibi ipſi contrarius, diſſerit* Harprechtus. *Sed qvid hoc ad hunc modum facit diſſolvendum? Manet hoc ex* hypotheſi *Doctorum plerorumq; inprimis* Boceri, Harprechti, Berlichii, *& aliorum ſibi conſtans, qvod* qvo jure licet vim vi repellere, eodem liceat injuriã injuria retorqvere. *Cum igitur liceat vim realem vi propulſanti: ut poſt factã propulſationem poſſit violentum adgreſſorẽ judicialiter, etjam ex lege* Cornelia injuriarum, *nihilominus convenire: utiq;* diverſitatis rationem his in terminis Berlichius *debebat oſtendiſſe: cur hoc retorqventi injuriã poſt* retortionem *licere non deberet. Non enim ſubficit confugiſſe ad* Harprecht. *qvi in his terminis non verſatur, ſed qvia* Dn. Nebelcrajum *refutare ſibi volupe duxit: ſibimetipſi in* hac Rhodo *certandum fuit. Qvod cum adtentare non avſus fuerit, qvoad* Berlichium Dn. Nebelcrajus *contra ſictitium illum* tollendæ obligationis injuriarum modum *cum ſuis argumentis adhuc ſtat inconcuſſus, utut* Dn. Beſoldus *opinetur* Dn. Nebelcrajũ à Berlichio *prolixe refutatum.* Prolixe *qvidem, non diffiteor: ſed qvam* vere: *& qvam* nervoſe *ex præmiſſis oſtenſum.*

PRO EADEM THESI CONTRA Dn. BOCERUM.

Neq; vero placet, qvod pro eadem theſi diſputavit Dn. Bocerus *in refutandis, qvæ ſibimetipſi propoſuit argumentis d. cap.* 3. famoſ. libell. *Qvod enim obponit juri generali*, qvo actio injuriarum conceſſa cuivis injuriam paſſo; *in l. item apud* 15 § generaliter. 27. Injur. *qvod ceſſet in illa injuria*, cujjus obligatio jam aliqvo ſublata ſit modo *per* Retortionem, *id in elenchum* petitionis principii *incurrit: qvia negatur hoc à nobis, nec unqvam demonſtrari potuerit: Qvod* retortio ſit obligationis injuriarum tollendæ modus, *qvippe ab omnibus retro ſeculis inavditis. Unde ſeqvitur, qvod*

Digitized by Google

Dn. Schraderi *opinio in d. conſil. tam diu retinenda ſit: donec Adverſarii, ex certi & clari juris avctoritate, ſuum illum* obligationis injuriarum tollendæ modum, *à ſe noviter confictum, ſunt probaturi. Non avtem neceſſe habuit tum temporis rationes adtaliſſe: qvod* Retortio injuriarum obligationes *non aboleret: id qvod* Dn. Bocerus *poſcens ab illo non æqvum facit, cum qvod tunc temporis hæc opinio, de hoc modo nuper confictio, inavdita fuerit: tum qvod* adfirmantibus *eo tempore hunc modum: ſi modo qviſpiam adſertor hujjus opinionis, qvod credere non avſim, exſtitit, non* Schradero neganti *incubuerit probatio.*

Qvod idem ſit effectus Retortionis*: qvi actionis injuriarum: id credat* Judæus Apella *ſi volet: mibi hoc nemo perſvaſum dabit: neqve* Dn. Bocerus *hoc unquam ex juris præceptis exſtruet. Qvod enim ex d. l. 14. adſertur, ſi qvid hic retortum fuit, id in* judicio criminali exceptionis, *non convicii, in* modum, *factum: qvod ad hanc commentitiam* extrajudicialem retortionem *convicio obpoſitam, nihil adtinet. Et qvamvis* Filius patroni *crimina, qvorum adcuſatus erat, in* Libertum *retorſerit: non tamen hinc conſeqvens: qvid illa à ſe abſtulerit: & omnia in Libertum transportarit: ſed qvod illum in horum ſocietatem, ut* Gloſſa *teſtatur, traxerit. Id enim proprie eſt retorqvere* convicium, *qvando is, qvi fuit notatus, illud ſic retorqvet: ut in eodem illum, qvi objecerat crimen, hærere luto denotet: qvod exempla Retortionum hujjusmodi teſtantur pleraq; omnia, qvæ ſupra ſunt ex bonis avctoribus excerpta. Et poſito: qvod* Patronus *crimen totum transtuliſſet in* Libertum, *& ſemet innocentem proteſtatus eſſet: nulla tamen ratio ſeqvelæ dari poſſet: qva hujjusmodi retortione ſe Retorqvens ab omni injuriarum actione abdicaſſet: vel cur illa obſtaret: qvo minus injuriarum agere etjam poſt retortionem potuiſſet.*

Qvod avtem ad l. 15. adtinet: Procurator *non retorſit ſibi objectum crimen: ſed dixit:* Dominum mentiri. *Probetur igitur hic primum hoc: Qvod* Procurator crimen objectum retorſerit in Dominum, *qvod abſurdum dictu; ut pavllo ante, contra* Berlichium *eſt evictum. Deinde, qvod dicendo,* Dominum mentiri, *à crimine ſibi objecto ſe penitus* expurgarit; *qvod* Ulpiano *ne qvidem per ſomnium in mentem venit, ut ſupra in eodem loco dictum. Qvod igitur*

hic

hic præſubponitur: injuriam retorquendo plane peremtam: ut nihil ſit reliqvum hoc petitionis eſt principium: non modo falſum, ſed impoſſibile penitus. Qvia contumeliam factam facere infectam nemo poteſt, ut pavllo ante demonſtratum. Neq; poſſet hoc ullo, niſi fictionis juris modo ſuſtineri: cujus poteſtatis, Fingendi, de jure eſſe, qvod non eſt, capaces non ſunt Doctorum, ne qvidem centum millium opiniones.

Cæterum qvod hic adſerit Dn. Bocerus num. 56 & 60. Retorqventem non modo inmiſſam, & adceptam injuriam rejicere in injuriantem, ſed inſuper & aliam illi, & qvidem novam, & plerumq: graviorem inponere injuriam: id ſilentio involutum manſiſſe: qvam revelatum eſſe ſatius fuiſſet. Nam ſi prius verum eſſet: oporteret eandem ipſam injuriam, ut erat inmiſſa, & adcepta, in convicii avctorem rejectam: qvod Adverſa pars ipſamet diffitetur: cum non velint Dd. ita ad objectum furti, latrocinii, adulterii, &c. convicium retorqveri: Tu mentiris; tu fur, tu latro, tu adulter, &c. Et ſi qvis te proditorem convicietur: non velint dici: immo tu es proditor: teſte Mynſingero cent. 5. obſ. 17. num. 3. & Obrecht d. loc. num. 17. ſed hoc tantum modo: Tu mentiris ut fur, ut latro, ut proditor, &c. & hac parte 3. th. 33. ſupra dictum. Ex qvo patet, qvod non retorqveatur, immo nec retorqveri debeat, ipſa injuria injecta & adcepta, ſed aliud qvidpiam illius loco. Qvo enim jure Procurator in d. l. 25. retorſiſſet in Dominum, qvi ſe conluſionis cum Adverſario ſuſpectum fecerat: tu mentiris, tu conluſor, vel ut conluſor: cum hoc crimen in Dominum non cadat, nec poſſit coargui, qvod cum ſuo ipſius conluſerit, contra propria commoda, adverſario.

Si poſterius eſſet verum: ſeqvetur: qvod Retortio non tantum ad excludendum crimen objectum, & ſic ad defenſionem, ſed etjam ad vindictam vergeret; cum; qvod ultra adceptam injuriam infertur, id novam referret injuriam, & alio qvam vindictæ nomine non poſſet inferri. Aſt hoc fieri non debere Dn. Mynſingerus, Obrechtus & alii d. locis præcipiunt. Ex qvo pateſcit, qvod ipſis inter ſe ipſos non ſemper de hoc dogmate conveniat adverſariis. Cum igitur falſum ſit, & nullo juris apice probatum, qvod plane perimatur, & prorſus aboleatur per Retortionem injuria inlata: & inde nata obligatio:

Digitized by Google

qvod jam aliqvoties inculcatum. Satis adhuc negocii faceſſit adverſæ parti hoc argumentum, à comparatione Recantatoriæ actionis *&* Retortionis *deductum: donec* ratio diverſitatis *alia, qvam hæc, qvæ* principium petit *prolata, & probata fuerit.*

Qvamdiu autem concedit Dn. Bocerus, *qvod actio injuriarum æſtimatoria* pingvior *actione illa, qvam* æſtimatoriam *vocant Leges,* pingvior, plenior, & amplior ſit, *injuriæ* Retortione, *plus qvam ſterili & vana: tam diu cum prioribus qvattuor hoc etjam argumentum permanebit ſtabiliter firmum:* qvod æſtimatoria Retorqventi non ſit deneganda. *Ubi non poſſum ſatis mirari: qvod* Dn. Bocerus Retortionē *vocare non erubeſcit,* juris beneficiū, *n.* 58. *& qvidē* Pandectarū jure permiſſum: *qvo* vir honeſtus *non ſolū ſuū* tutari honorem: *ſed etjam* ſe ulciſci, ac injuriā vindicare poſſit: *cum tamen alii Doctores; inprimis* Dn. Mynſing. & Obrecht. *ſolam illi* tutelā *deferant: & omnem* vindictā *auferant: cumq; in adl. Ll.* 25. *&* 14. *de hac* Retortione, *qvæ hodie à qvibusdā Dd. venditatur, ne mica qvidē reperiatur: neq; in* Pandectis: *neq; in ulla alia* juris civilis *parte diſpoſita: ſed omnis illa, qvantacunq; viget hodie, ſit in* qvorundā Dd. inprimis modernorum cerebris privatim, *contra* juris Divini, & humani principia, *fabricata: qvod in ſuperioribus eſt demonſtratum ſatis.*

Ad avctoritatis *argumenta, qvibus hunc* obligationis injuriarū tollendæ modum *ſulcire conantur, qvod adtinet: præter illos, de qvibus pavllo ante dictum, adfertur à* Berlichio Gloſſa marginalis *ad gloſſ.* Germanicā Landr. *lib* 1. *art.* 68. *lit b qvæ qvidem hoc ipſum innuere videtur. Qvia autem hoc nullo nititur iuris ullius textu: & alioqvin hæc injuriarum* pecuniaria pœna *jure* Saxonum *recepta, per* Conſtit. Div. Augusti Electoris 42. *p.* 3. *ſublata penitus: hujjus etjam* gloſſiculæ *pondus nullum ſupereſt.*

Lipſienſe præjudicium, *agit ejusmodi de ſpecie facti: in qva paſſus injuriam ex intervallo, & ſic deliberato conſilio per duos teſtes* Retortionem *inſinuavit. Ex qvo præſumitur actu: qvod injuriam paſſus hac* Retortione *contentus eſſe, & actionibus injuriarum ſibi competentibus tacite renunciare voluerit. Qva cavſſa* Dn. Lipſienſes *fortaſſe moti, litis abbreviandæ cavſſa fuerunt. Si autem hæc deciſio ex hoc errore dependeret: qvod* Retortio *qvævis* obligationis tollendæ *modus eſſet: aliis illa legem præſcribere non poſſet.*

Reſu-

Digitized by Google

Refutatio Dn. ANTONII FABRI *Objectorum.*

Urgebit fortaſſe magis: qvod ex Dn. Anton. Fabri *deſin.* 8. *lib.* 9. Cod. Fabr. *tit.* 20. *adſciſcitur: ſed in qvo ego, qvod ſalvo illius honore, pro veritatis defenſione, dictum cupio,* acumen Fabrianum *non animadverto: ſed* hac *in opinione conſiſto: ſi* Faber ille, *qvi ſcribſit de* Erroribus Pragmaticorum, *in hanc incideret* definitionem, *forſan à* Franc. Hotomanno, Carolo Molinæo, Hugone Donello, *vel alio ejjus generis conceptam, qvod vix* errorum *ipſi* decas *integra ſufficeret; qva tot nævos abſtergere poſſet.* Primum *enim hic adſeritur:* qvod injuriam paſſus non tantum verbis eam: ſed etiam facto repellere poſſit: *qvod noſtrates tamen* Retortionum *Patroni negant ad unum omnes: & recte qvidem.* Deinde, *qvod* injuria *intorta*, non ſolum alia: ſed etiam graviori & atrociori poſſit retorqveri: *qvod iterum ex noſtratibus negant pleriqve: qvi non* aliam novam: *multo minus* graviorem. ſed eandem tantum retorqveri *injuriam volunt: qvod ſup. ex Obrechto d. n.* 17. *monſtratum.* Item, *qvod* injuriā verbalem inferens, eandem poſtea verbis, maxime apud Judicē, delere. *& ſic* abunde ſatisfacere injuriā paſſo poſſit. *Qvam ego* deciſionem *tanto magis in tanto viro miror: qvanto levioribus illam rationibus confirmat ex l.* 80. Solut. *Et l.* 35. *R. J. Unde ſic argumentatur:*

Qvicqvid verbis eſt contractum vel colligatum, id etjam verbis diſſolvi colliq; poteſt.

Sed injuria verbalis verbis tantum eſt facta.

Ergo verbis etjam diſſolvi & deleri poteſt.

Syllogiſmus hic ex qvattuor terminis conſtans eſt diſſolutus. Aliud enim eſt, verbis aliqvid contractum: *aliud vero* verbis factum eſſe. Propoſitio *loqvitur tantum de* Contractib. & Obligationibus verborum: *ut exempla utriq; legi ſubjecta demonſtrant.* Adſumtio de injuria, *qvæ non eſt* contractus: *ſed* maleficium. *Qvod ſi procederet* Fabriana adſumtio *eadem ratione poſſem ſic ſubſumere:*

Sed blaſphemia & hæreſis, qvandoq; etiam ſacrilegium, crimen falſi, Læſæ majeſtatis verbis tantum facta ſunt.

Ergo verbis etjam deleri & diſſolvi poſſunt hæc crimina: & læſæ parti ſic abunde ſatisfieri, absqve ulla pœnæ perſecutione.

Si

Digitized by Google

Si negabit D. Faber *hanc meam ſeqvelam : ego negabo eodem jure* ſuam *: & obpono ipſi* Dn. Bocerum *d. Diſp.* 4. *th.* 79. *&* de famoſ. libell. *cap.*3, *num.* 45.

Poſtea *refert ſe* D. Faber *ad* definitionem *tertiam ejusdem tit. In qva* Retortionem etjam ex intervallo, ſed tamen ut eodem fiat die, concedit; *ratione ſubjecta :* qvia vix ſit, ut in ſeqventem diem calor iracundiæ producatur. *Ratio egregia ſcilicet* ! *Qvid igitur ſi* producatur calor iracundiæ, *qvi in obſtinatis, ferocibus & iracundis ingeniis, non tantum in noctem, & ſeqventem diem, ſed etjam in hebdomadas, menſes & annos aliqvando producitur ?* Ubi leges, ſine qvibus erubeſcit loqvi Dn. Faber in erroribus ſuis ? *Ergóne etjam is, qvi violentis eſt armis invaſus, qva tamen evaſit forte fugiendo: poſt intervallum aliqvot horarum reverti & invaſorem occidere poteſt ? Cur non ? qvia & in hoc idem iſte calor iracundiæ durare, & qvidem multo majjore ratione poteſt. Qvod tamen nec ipſe, ut credo*, Faber *: vel ſaltim* vix *conceſſerit.*

Proinde *in notis num.* 6. *hoc etjam pro juris principio habet :* qvod paria delicta ſint mutuo compenſanda, *& qvidem generaliter ; cum tamen id* in criminali materia, *qvalis etjam eſt injuria, qvandoq; locum non habeat, ſed ſuum cujusq; delictum ſua pœna manere debeat, ut ſupra dictum : Et probat poſt alios* Obrecht. *d. loco.*

Deniqve *illum*, qvi graviorem injuriam (*retorqvendo*) inrogavit, non tantum actione privari, ſed inſuper condemnari debere ſtatuit. *Qvi ſic qvæſo* ! *cum pavllo ante hoc* provocato *licere dictum ſit*, ob iracundiæ calorem. *Regerit* D. Faber : Si nimis atrox in retorqvendo fuerit. *Avdio :* ſed modum hic præſcribtum oportuit. *Contra :* Retortio eſt purgatio criminis objecti. *Qvo igitur* Retortio *vehementior, eo* purgatio *majjor, & integrior, ut hic non poſſit peccari in* exceſſu, *qvia nemo nimis à vitiis purgari poteſt. Et hanc ob cavſſam* Dn. Bocerus *hanc* privationem actionis injuriarum *eo cenſet æqviorem, qvo gravior erit* Retortio *injuria intorta, ut eo* magis oneret injuriam facientem. *Qvæ rationes evertentur : ſi non licuerit* gravius retorqvere, *& ſi hic* exceſſus *puniri debet.*

Sed his erroribus ad Chiliadas *amandatis, libet inſpicere* rationem deciſionis : *cur provocatus*, ſi retorſit injuriam, *dicendo :* tu menti-

mentiris (*de hoc enim ſolo caſu loqvimur hic*) injuriarum agere poſtea non poſſit? Qvia, *inqvit D. Faber*, provocatus ſibi, retorqvendo, jus dixit: *&* ſic avctoritatem jus dicentis, qvam implorare debuerat, neglexit: ut ſit indignus, avxilium qvi ſentiat Magiſtratus. *Qvam hæc dicuntur inconſiderate: & qvam male* Retortionis *inter ſe Doctoribus convenit*! *Si enim* Retortio juris eſt naturalis: *& qvidem* defenſio neceſſaria omni iure licita: *ut hujjus dogmatis Patroni longo rationum diſcurſu docent: qvi fieri poteſt: ut peccet is: qvi* Retortionis *utitur*, tam grandi & ſalutari, *ut volunt*, beneficio? *Et ſi* neceſſaria hæc eſt defenſio: *qvando injuriam patiens* in periculo conſtitutus eſt, ne poſt adceptam injuriam pluribus ab adverſario conviciis, niſi Retortionis ope propulſet ea, proſcindatur, *ut argute, & acute*, (*ſi Diis placet*!) Harprechtus *d. loc. n.* 99. *diſceptat: qvid poteſt inputari* Retorqventi, *qvaſi judicis inplorandi* avctoritatem neglexerit: ſi in caſu neceſſitatis illo fuit conſtitutus: *qvo judicis inplorandi facultatem habere non pötuit? Immo falſum hoc*: qvod provocatus retorqvendo ſibi jus dicat: *qvod probo hac ratione:*

Qvi ſibi jus dicit, is propria avctoritate facit, qvod facere debebat per judicem.

Sed Retorqvens non facit avctoritate propria, qvod facere per judicem debebat. Ergo &c.

Propoſitio *eſt ipſius* Fabri *in notis ad hanc* definitionem *ſub num.* 2. Adſumtum *probo*:

Si Provocatus retorqvendo facit, qvod judicis erat facere: ſeqvitur Judicem, ſi præſens eſſet, in convicio faciendo, dicturum ad conviciatorem: Tu mentiris ut fur, latro, proditor, &c.

Sed falſum conſeqvens. Ergo & antecedens.

Propoſitio *certa*: *qvia* Retorqvens *hoc tantum conviciatori* retorqvendo *dicit*: tu mentiris &c. *qvia hæc, ut vulgo præcipiunt*, Retortionis forma. Adſumtum *tam diu verum manebit, donec Adverſarius probabit contrarium. Judex enim ſi imploratur, ſi qvidem conſtet de injuria, non dicit ad Injuriantem*: tu mentiris ut fur, &c. *ſed*: tu pro injuria facta pœnam debitam ſolvere debes; *Juxta* §. *In ſumma, Inſt. injur.*

X Proin

Proinde ſi Retortione *utens punitur hactenus : ut ſibi actiones denegentur competentes : qvia eſt* Magiſtratus avxilio indigous : *neceſſe eſt* Retortionem eſſe peccatũ grande : *qvia grandi pœna conſtringitur : juriũ nimirũ ſibi alias competentiũ privatione. Qvo poſito ſeqvitur falſa eſſe omnia : qvæ vulgo à Dd. noſtris*, qvod Retortio ſit maximũ beneficiũ juris Naturalis & Civilis ex indulgentia conceſſum, *tanto cum adparatu decantantur*. *& ſi denegatus ad competentes injuriarũ actiones, poſt* Retortionem *regreſſus*, *eſt pœna* Retorqventi *inflicta : falſiſſimum & nugaciſſimum eſt : qvod hic ſit* Retortionis fructus ex juris beneficio, *ut docet* Bocerus *d. c.* 3. *n* 58. viris honeſtis, qvo ſuum honorem tutari, ac injuriam ſibi inlatam vindicare poſſint indultus : *cum potius contrarium ſit verum : nimirum qvod* retortione utentes, in pœnam utendi, priventur hiſce juris remediis, *nimirũ* injuriarũ actionibus. *qvibus* famam & honorem *ſuum optime defendere, & injuriã ſuæ famæ inlatã jure vindicare potuiſſent. Ergo*, *qvod ad* gratiam viris honeſtis videbatur, *& à Doctorib. vulgo prædicatur*, eſſe conceſſum : id in ipſorum diſpendiũ eſt retortum, *contra* juris Canonici *regulam. Valeant igitur, & abeant cum tanto ſuo* juris beneficio Retortores *boni* : *&* Ant. Fabro ſuo Patrono *magnas, immo ingentes, pro tam eximio patrocinii præſtiti obſicio, gratias agant. Interim ego puto* ; ratione definitione Fabriana ſublata : *corruere & ipſam* definitionem : *ut* præjudicium *hoc nobis* judicium *obtrudere non poſſit*.

Tandem allegat Dn. Bocerus *avctoritatem* Tribunalis *ſummi* Vurtenbergici, qvod non abhorreat ab hac opinione : *Aſt hoc eſt teſtimoniũ ſuſpectum : qvia huic ipſemet primarius* Adſeſſor, *& ut ſecundum hanc opinionem pronunciaretur, veriſimiliter avctor fuit. Sed utut ſit : ſi valere hoc debet : valebit etjam ſententia* Conlegii inluſtris Facultatis Juridicæ in Acad. Gieſſena ; *qvæ ab* hac opinione penitus abhorret : *teſte* Nebelcrajo : *cum qvo facit in vol.* 1. *Diſp.* Baſilienſium Joan. Walfeld Badburgus, *avctor Diſp.* 19. *th.* 6. *lit. B. ubi hanc rationem ſubdit* : qvod Retortio non ſit modus tollendæ injuriæ : ſed potius declarandi inpatientiam animi, & ad animũ revocandi : qvæ obponatur diſſimulationi *per l. non ſolum.* 11. § 1. *Injur. Et* §. *fin. ʒ. eod.* (g) *Qvam rationem reddit* D. Beſoldus *Diſp.* 2. *th.* 29. *de injur. ſed qva* principium petit : *cum hoc ſit in qvæſtione* : an ex-

ſtingvat: *qvæ nuſqvam ab adverſariis probata legitur. Reliqvæ rationes*: qvod actiones injuriarum ſint cum Retortione incompatibiles, qvæ ad eundem effectum tendant, & ut ſubrogata ſimul ſtare neqveant &c. *penitus ſunt* aproſdionyſæ: *& ſibi invicem adverſæ*: *ideoq;* ad principium *recidiva. Qvi poſſunt enim eſſe* incompatibilia: *qvæ ad unum*, & eundem tendunt effectum: *& qvorum* alterum alteri ſubrogatum. *Sed verum non eſt*: *qvod ad eundem tendant effectum*: *cum* Retortio *ſit tantùm* revocatio injuriæ ad animum, *&* declarata coram auditorib. diſpatientia: *qvæ præparatoria eſt ad injuriarum actionem ad* vindictam *comparata. Nec ullo jure vel ulla ratione probatū exſtat*: *qvod* Retortio ſit in locum actionis injuriarum, vel in minimo ſubrogata. *Qvod autem* Dn. Beſoldus *ſubdit*: hanc exceptionem à Reo non obponi poſſe: *id veriſſime obſervavit. Reus enim obpones* Retorqventi *acturo hanc exceptionem, cogitur fateri*: qvod falſum crimen objecerit: *qvod* ut fur, latro, &c. mentitus & calumniatus fuerit: *atq; ita* propriam ſuam adlegans turpitudinē, *cum hac exceptione admitti non debet*: *niſi ſe* infamem calumniatorem & mendacem *proclamare malit. Qvod ſi autem* Reo *prodeſſe hac ratione non poteſt*: *cui erit uſui*: *dic ſodes hic obligationis injuriarū tollendi modus? Qvod* D. Bacchovius *in not.* ad Trevt. *vol. 2. Diſp. 30. circ. fin. dubitationem movet*, *poſito caſu*: *ſi* Retortio *ſuſtineri poſſit*: qvod tollendi vim habeat: qvia cenſeatur injuria per Retortionem translata in injuriam facientem: *qvia* retortio plus in ſe contineat: *qvia* Retorqvens ſeipſum vindicem & judicē faciat: *qvia plerumq; efficiat*: *ut Retortionem paſſus ſuper injuriis experiri cogatur*: *non agit hoc, ut* Retortionis *hunc uſum ſuſtineat*: *ſed qvod* ſtantibus iliis hypotheſibus, *ſuſtineri qveat. Qvæ cùm in ſuperioribus ſint eradicatæ ſæpius*: *idcirco hic immorari diutius non placeat*: *cum* ex hypotheſibus falſis, theſis ipſa redarguatur falſa.

XLIIX.

Ceterum licet vulgo velint: in *Retortione facta ſic eſſe adqvieſcendum*: ut *qvi illam paſſus eſt*, *ne mutire qvidem adverſus Retorqventem audit*: (*a*) attamen ſi *Retortio* locum habere; & provocato permiſſa debet eſſe; Siqvidem

 dem

dem illo caſu *Retortione pulſatus* habeat: de qvo jure conqveri poſſet: utputa ſi *verum conviciando dixerit*: (*b*) vel *Retorqvens modum exceſſerit*: vel *aliud gravamen ſubſiſtet*: qvo minus ſibi liceat viciſſim, qvod ille licitum eſſe ſibi voluit; nihil obſtare credo. (*c*) Et ſi in dubio ſit: jurene, vel injuria Retortio ſit facta: interim ſua, retortione perculſo non poteſt *defenſio viciſſim retorqvendo*, vel *proteſtando* (*d*) denegari.

(a) *Cum qvibus tranſit* Berlichius *d. concl. th. fin.* (b) *ut contra retorqvere liceat*: non ipſe mentior: ſed tu mentiris: *Grev. part.* 3. *concl.* 100. *num.* 24. (c) *Æqvitatis hoc regula poſcente*: *ut* qvod qvis ſibi jus dixit: id etjam adverſus ſe dici non ferat ægrius: *tit.* Qvod qviſq; jur. &c. *ut recte diſſerit* Harprecht. *n.* 219. *cum ſeqq.* Bocerus *d. cl.* 6. *Diſp.* 1. *th.* 36. Obrecht. *d. c.* 2. *num.* 29. Jacob, Schult. ad M. Piſtor. *d. dec.* 127. *num.* 45. Beſold. *Diſp.* 1. *th.* 21. *Injur.* Farin. *de var. & div. crimin. qvæſt.* 105. *num.* 316. (d) *Qvamvis enim hinc* Proteſtationum & Reproteſtationum, *vel* Retortionis Retortionum *proceſſus divagetur*: *ut ferme nulla detur* Retortio: *cui non obviam eatur* alia Retortione: & *ſic res in infinitum vergat*: *non tamen propterea* Repulſione pulſato *ſua poteſt denegari defenſio*: *cum* Exceptione propoſita: Replicationi ſit *locus concedendus*: & *huic viciſſim* duplicatio obponenda: *pro ut vulgo fieri videmus*: *teſte* Obrecht. *d. loc. num. fin.* *Qvod ſi videtur hoc abſurdum*: Retortionis *Dd.* & *Patronis*: *ſibi hoc imputent*: *qvod hoc inconveniens citra* juris avctoritatem, *ut* cavſæ neceſſitatem *in forum ſine ulla ratione* honeſti, boni & æqvi *invexerint*: *cum hoc in caſu aliter fieri non poſſit*: *qvam ut* dato inconvenienti uno, ſeqvantur infinita.

Et qvid dicent: *ſi ſuimetipſorum præcepti de non admittendis* Retortionum Retortionibus *ſint in ſuis* formulis *obliti*. *Inter* Volcmanni *enim* & Harprechti *formulas reperiuntur*, *qvæ* Retortiones *ante jam* Retorqventi *factas aperte præſubponunt*: *qvibus alias ſuas* Retortiones *obponere ſunt ex hoc capite conati*: *qvod in* Retortionibus *prioribus*, *vel* revera non præceſſerant injuriæ illæ retortæ:

Digitized by Google

tæ: Weil angedeutete (retorquirte) Reden von mir ſolcher Geſtalt vnd Meynung nicht vff die Bahn gebracht: *ut habet* Harprecht. *form.* 3. *Vel* ſi ſic esſent prolatæ; *qvod* illæ vel esſent vere *ab convi-ctu paſſo in facto patratæ:* vel dudum transactæ, avt præſcribtæ: vel qvod in retorqvendo modum excesſisſent: *ut innuunt formulæ Volcmanni* 4. & 5.

IL.

Ex qvibus qvid de hujjusmodi *Retortionum* (*a*) *formulis* ſit ſtatuendum: judicatu difficile non eſt. Nam ſi *Retortiones* ejjusmodi jure nullo probatæ (*b*) ſunt: nec earum *Formulæ* locum habent ullæ (*c*) Ne dicam qvod harum avctores ipſimet leges, qvas ſibi præſcribſerunt, in his concipiendis obſervarint minime. (*d*)

(a) *Qvarum ſupra part.* 1. *th.* 15. *facta mentio: qvæ tanto cum adplavſu partis adverſæ ſunt exceptæ: ut ne hilum qvidem, qvod in illis deſiderent, animadvertere qveat.* (b) *Qvod ex his qvæ parte* 2 & 3. *dicta ſunt, hucuſq; patet.* (c) *Cum* non Entis, *vel* nihil valentis qvalitates nullæ esſe posſint. (d) Volcmannus *enim inter Libelli* Retortivi (*ut ita in re nova novo liceat uti verbo*) *reqviſita hoc ponit d. part.* 2. *cap.* 81. *reqv.* 5. *circ. fin.* Es ſollen in der Retortion vnnd Wiederheimſchiebung keine andere Wort gebraucht werden / als Injuriant ausgegoſſen; ſintemal ſonſten ſolche / wann ſie Injurien von Injurianten herrührende in ſich begreifft / nichtig vnd vngültig. *Ex qva cavſſa idem in form.* 4. *retortionem inprobat:* Darinn Retorquent den Injurianten einen verlogenen Mann ſchilt / welche Wort in ſeinem Schreiben (*cui ut injurioſo obpoſita erat* Retortio *iſta*) nirgends zu finden. *Eadem ex cavſſa idem form.* 4. *Retortionem factam pro* libello famoſo *habet retortionem pasſus:* Weil ſeine Bezichtigung (*cujjus mentio in Retortione facta*) ein erdichtet Ding / vnwahr vnd nicht zu erweiſen were / etc. *Contra vero ex his formulis adparet: multa à Retorqventibus, qvæ ad ſummam Injuriantis infamiam pertinent, qvorum in inlata injuria facta erat mentio nulla, interſperſa: qvæ injuriam longe atrociorem re ipſa faciunt: & tantum ad exaſperandum ſunt Injuriantis animum ex vindictæ ſcin-*

Digitized by Google

tillis inſlammata. *Cujjusmodi ſunt form.* 1. 2. 3. *Volcmanni:* Er hat mich wider Gott vnnd ſein Gewiſſen / als ein Ehrenſchender vnnd boßhafftiger Injuriant / nicht wie ein ehrlicher redlicher Biedermann / verleumbdet: Thue jhm die Injurien in ſeinen Hals vnd Buſem / daraus ſie geſpeyet / zu ſchlucken vnd zu verdäwen / retorqviren: *& qvæ ſunt ejjus generis alia: qvæ in Harprechtinis formulis longè ſunt aſperiora, ut:* Jch will dieſe boßhafftige Calumniatores für ſolche hochſträffliche Ehrendiebe gehalten haben: daß Mævius aus lauterm Neid / ſelbſterdichteter lügenhaffter Ehrenſchendung vnd Bezug / mich zur Vnſchuld ſchändlich als ein vermeſſener hochſträfflicher Ehrendieb / anliege: Welche abſchewliche Schmehung ich auff jhm als vnbilligen Injurianten / Diffamanten vñ Ehrendieb erſitzen laſſe: *in Form.* 1. *&* 2. Jtem / daß Mævius alle Ehrenverletzliche Zulagen / erdichteter / vnverſchämeter vnd vermeſſener weiſe auff mich gelogen: will jhn für einen Ehrenſchender vñ Ehrendieb halten / etc. *Form.* 3. Jtem / Thue jhm Colmanno in ſein ſchmachgierig Leſtermaul / daraus ſie geſtoſſen / dieſe Bezichtigung retorqviren: *Form.* 4. Jtem / Sie liegen mich mit ſolchen Schmähungen ſchendlich an / als vermeſſene hochſträffliche ehrendiebiſche Leute / dafür ich ſie halte: *Form.* 5. *&* 6. *In qvibus hoc eſt ſingulare, qvod in Form.* 1. 3 *&* 4. *Retortiones hujiusmodi etjam* in futurũ tempus ſemel pro ſemper, & pro ut nunc ita ex tunc, *ut ipſæ loqvuntur, ad alia etjam injuriarũ vulnera poſtmodum infligenda, inſtar panaceæ ad curandum adhiberi poſſe vulgo ſibi perſvaſum habeant: ſed falſo & modo legib. incongnito & plane inviſo. Qvod item in* 6. *Form:* Retortio contra mortuũ *& alios qvoscunq., qvi hanc eandẽ injuriã ſint recocturi dirigitur; ſatis inperite & inepte: cũ jure cavtũ ſit: qvod morte inferentis injuriam: tollatur injuriarũ actio l. injuriarum:* 13. *pr. Injur. l. Si enim.* 10. *§. qvi. Si qvis cavt. in jud. &c. § non avtem J. de perpet. & temp. act. in cujjus locũ volunt* Retortionẽ ſubſtitutã: *& qvod* in perſonã incertam non procedat retorqvendi ratio: *ut docet* Harpr. d §. *hæc actio num.* 195. *cũ ſeqq. Qvod item in* Harprechtina *formula* 1. *& in* Volcmanni *form.* 1. *&* 2, *tales* reſervatoriæ *ponantur clavſulæ:* Neben dieſer Retorſion will ich wider boßhafftige Calumniatores alle andere habende rechtmäſsige Sprüche / vnd gebührende Nothdurfft; *vel:* Alle

rechte

rechtmäſſige Mittel vnd Wolthaten: *vel etjam:* Alle gebührliche im Recht zugelaſſene Actiones vñ Vindication weiter wircklich anzuſtellen/ mit reſerviret, vnd darüber proteſtiret haben/ etc. *Si enim veræ ſunt à Retortionũ Dd. traditiones invectæ: qvod* per Retortionẽ tollantur omnes alii injuriæ vindicandæ modi, ita ut ab illa ad hos non detur regreſſus, ut adſeritur *in part.* 1. *theſ.*13. *ſeqvitur haſce clavſulas eſſe non modo nullius momenti: ſed etjam dictæ traditioni Doctorum è diametro contrarias. Sed prius ex ipſorum opinione verum. Ergo & poſterius. Deniq. qvod Form.* Volcman. 2. *hanc clavſulam habeat:* Damit dieſe Retortio deſto offenbahrer werde: reqviriren wir euch Notarium/ daß ihr dieſe Retortion nicht allein dem boßhafftigen Injurianten/ ſondern auch ſeiner Obrigkeit dem BergAmpt/ Knoppſchafft vnnd Gewerckſchafft/ vornehme Zunfften vnnd Zuſammenkunfften inſinuiret, &c. *Cum tamen* Harprechtus *d. loc. num.* 209 *præcipiat:* Si intra privatos parietes injuria facta ſit, qvod ſcheda Retortionis non debeat publice adfigi: ſed tantum privatim Conviciatori per Notarium & Teſtes duos inſinuari *Cum autem hac injuria qvæ retorqvetur in hac formula, ſit tantum* für der Anſchnittſtuben/ *in qvorundam præſentia facta,* vnd für dem Bürgmeiſter vnd ſeinen Geſchwornen wiederholet: *qvo jure debuit illa retorqveri* nicht allein für dem Berg-Ampt/ *qvod potuiſſet tolerari; ſed etjam coram ordinario Magiſtratu, coram Metallicorum miniſtrorum conlegio*, vnnd allen vornehmen Zunfften vnd Zuſam̃enkunfften. *Ex qvibus adparet, qvam belle Retortionis Doctorib. ſuper hoc negocio inter ſe, & ſecum conveniat. Sed mirum hoc non eſt: cum* uno inconveniente dato, ſeqvantur infinita: & omnia ſint cum à jure diſceditur incerta: *ut ſup. ex Cic. probatum.*

L.

Qvid igitur de *fama* noſtra fiet, inqvies: negligenda hæc eſt igitur, ſi non detur *Retortionis* copia? Minime gentium. *(a)* Proſpectum nobis eſt in *Juriſprudentia* noſtra ſat abunde: certiq; præſcribti ſunt modi, *(b)* qvaslibet injurias tam *Reales*: qvàm *Verbales Magiſtratus ope*, tam *Civiliter*: qvam *Criminaliter* graviſſimis

ſub

ſub pœnis vindicandi: in qvibus, ut *Ordinatione divina,* *(c)* merito debemus adqvieſcere: non avtem *novos* ex *propria vindictæ libidine modos ulciſcendi* contra S.S. *Scribturæ* prohibitiones *(d)* effinxiſſe.

(a) *Habet enim aculeum qvendam* Contumelia*: qvem pati prudentes, ac boni viri poſſunt difficillime: cenſente* Cicerone 5. *act. in Verrem. Et nemo tam agreſtis: qvem ſi non* ipſa honeſtas; contumelia tamen, & dedecus magnopere moveant: *teſte* Seneca *Epiſt.* 92. Famæ qvippe bonæ cura, cum etjam Ethnicis ſumma fuerit: *ſiqvidem apud* Liv. *dec.* 1. *lib.* 3. Famæ ac fidei damna majjora ſunt, qvam ut æſtimari poſſint; *ut non immerito P. Mimus:* Qvod honeſtus rumor alterum ſit patrimonium, *pronunciarit. Et apud* Plavt. *in Moſtel. ſapientiſſima vox ſit illa;* ego ſi bonam famam mihi ſervaſſo ſat era dives: *unde cavtela ex vulgari diſticho nota:*

Omnia ſi perdas famam ſervare memento:
Qua ſemel amiſſa poſtea nullus eris.

Adeo ut veriſſima ſit hæc Romanorum eloqventiſſimi Ciceronis 1. *off. cenſura:* qvod negligere qvid de ſe qvisq; ſentiat, non ſolum adrogantis ſit: ſed omnino diſſoluti: *profecto multo majjor illa Chriſtianis eſſe debet: & ſemper maxima judicata fuit: cum ex* ſacris oraculis: Qvod eligibilius ſit bonum nomen, qvam divitiæ multæ: *&* qvam argentum & aurum, eligibilior ſit gratia bona, *Prov.* 22. *v.* 1. *& qvod monitore* Siracide *cap.* 33. *v.* 24. *ſit opera danda:* ne qvis famæ ſuæ maculam inurat; *qvod, ut idem hortatur cap.* 41. *v.* 15. habere qvilibet debeat curam nominis ſui: qvod illud potius maneat: qvam multi avri theſauri mille: qvia vitæ probæ dies definiti: bonum autem nomen maneat in perpetuum. *Tum etjam ex* Sanctorum Patrum effatis: *inter qvæ vulgo celebratum illud* Auguſtini: qvod qvi famam cuſtodit: non tantum in ſe, ſed etjam in alios ſit miſericors: contra crudelis qvi famam negligit ſuam. *Cum teſte* Chryſoſtomo, *ſint duo neceſſaria Chriſtiano:* Bona conſcientia & bona fama: illa propter ſemetipſum: hæc proximi cavſſa: qvorum utrumq; ſi ſit amiſſum, omnia cenſeri perdita debeant. (b) *Qvos* JurisConſulti *ex Ll. decretis ſub tit.* de injuriis, *accurate deſcribunt. Et ſummatim in* §. in ſumma. J. injur. *cerne-*

cernere licet (c) *Qvia Magiſtratus* eſt ordinatio Dei: cui reſiſtens ordinationi divinæ reſiſtit: *teſte Divo Pavllo ad Romanos* 13.*v*.1.*&* 2. (d) *Qvæ ſuperius ſunt part.* 2. *th.*5. *productæ.*

L I.

Obmuteſcendum igitur, & non reſpondendum eſt illi: qvi nobis atrox in *aliorum præſentia* convicium facit? Nulla hac de re prohibitio proſtat: immo *leges Civiles* poſcunt hoc ab eo: qvi conviciis proſcinditur, ſi noluerit, vel conſultum non ſit, hoc ex æqvanimitatis, patientiæ & magnanimitatis ſvaſu (*a*) musſitare: vel per jocoſam, avt ſeriam: ſed argute tectam relationem (*b*) ſusq; deq; ferre: ut *injuriam ſibi factam revocet ad animum:* (*c*) h. e. expresſis verbis proteſtetur: ſe innocentem contra jus & æqvum lædi: ſe ægerrime id ferre. velle hanc injuriam ſibi factam legitime vindicare &c (*d*) Sed hac adhibita cavtela: ut fiat *ſtatim*: (*e*) *modeſte: non ex intervallo*: (*f*) *non ex adfectuum commotione: non maledice: non contumelioſe*. (*g*)

(a) *Qvod multi facere ſolent: ut ſi* magnanimi *ſint, & Conviciatores forte levioris conditionis: præ ſe contemnant fortiter illorum morſiunculas, qvæ ſui nominis lumen obfuſcare neqveant: Si vero* æqvanimi, *& injuriarum patientes: ut* bonæ conſcientiæ & famæ *teſtimonio freti ferant: qvod commode mutare neqveant. In qvam rem &* Exempla & Præcepta *ſuperius producta: part.*2. *th.*26. *cum ſeqq.* (b) *Nam & hæ reſponſiones, ſi non excedant modeſtiæ terminos, pro ratione circumſtantiarum, maxime ſi* par pari ſine maledicis verbis referatur, *tolerari posſunt: ut* Exempla *declarant ſupra commemorata: hac part.* 3. *th.*27. (c) *Qvod ſupra per d. l.* non ſolum. 11. §. 1. injur. *&* §. *fin. J. eod. declaratum.* (d) *Cui poteſt etjam contradictio lenior adnecti:* tu verum non dicis: falſum profertur: falſo me incuſas, &c. *qvod ex Bertazoll. refert* Farinaceus *d. qvæſt.* 105 *n.*317. (e) *d. l.* 11. in continenti, *& eodem temporis, qvo profertur convicium*, momento: *idq; in gratiam* avditorum præſentium: *ne musſitando,*

tando, vel diſſimulando videatur injuriam paſſus, vel condonaſſe illam: vel male ſibi conſcius de vindicandi conatu deſperaſſe: de *qvo ſupra hac part. 3. th. 44.* (f) *Nam ſi injuriæ factæ non adfuerit præſens, atq; ideo confeſtim non potuerit contradixiſſe: alia ſibi ratione conſulere poteſt; ut poſt eaqvam ſibi factã injuriam reſcivit*: magiſtratum *primo qvoq; tempore intra anni tamen ſpacium*, adire, *& conviciatorem* in jus vocare *poteſt.* (g) *Exemplar hujusmodi reſponſi ſi reqviras: melius indicari non poterit: qvam in qvo nobis* perfectiſſima virtutis, patientiæ & veritatis idea *præluxit, & inculpatiſſima via præivit. Qvorũ duo proferamus, qvæ etjam ſupra ſunt adducta.* Primũ *legitur apud S.* Joh. Evangeliſtam *cap. 8. v. 48. in qvo Judæi tale convicium projiciunt*: nonne benedicimus nos: qvod Samaritanus es tu, & dæmonium habes. *Duo hic convicia cumulantur: qvorum utrumq;* grave *nimis: poſterius tamen longe* gravius *priori.* Redemtor *igitur noſter* priore, *qvod* Nationis *erat obprobrium, & non adeo magni momenti præterito, ad* poſterius *tantum reſpondet: vel id, ut noſtri loqvuntur,* retorqvet. *Qvomodo qvæſo? Si noſtros imitari, & audiri voluiſſet: ſic Retortio formanda fuiſſet*: Vos Judæi mentimini, ut ſceleſti, latrones, fures. *Sic enim Judæos vere inculpare potuiſſet: qvia ſceleſtũ latrociniũ ſibi machinabantur. Verũ id non placuit. Simpliciter contradixit*: Ego dæmoniũ non habeo. *Rationem ſubjecit infragabilem*: qvia honoro patrem meũ. Non ergo dæmoniũ; *qvia hæc ſunt contraria. Deinde latenter crimen hoc in ipſos retorqvet Judæos*: vos contumelia adfeciſtis me. *Hinc enim ſeqvitur; qvod ipſi Judæi ſint illi; qvi Dæmonio agitentur; qvia mores Dæmonum exprimant.* Alterũ *apud eundem* Evangeliſtã *legitur cap. 18. v. 22. ubi ſummi Præſidis miniſter* Redemtorem *noſtrum duplici adficit injuria; reali una; alapam ipſi inpingendo*: perſonali *altera, qvod indecoro deſpicatui haberet ſummum Pontificem reſponſo, his verbis*: Siccine reſpondes Pontifici? *Regerit* Salvator *noſter, & utramq; injuriam refellit. Sed qvomodo? Juxta noſtrorum doctrinã debuiſſet reſpondiſſe*: Tu cædis me, & mentiris ut fur, latro, ſceleſtus, proditor, &c. *Verum aliter fuit* Filio Dei *viſum: qvando ſtatim revocat injuriam* utramq; ad animum: *& qvia coram tribunali ſtabat: provocat ad judicis auxilium*: Si male locutus ſum; teſtificare de malo. Sin bene;

cur

cur me cedis: *hoc eſt*, injuriam mihi facis: cum cædendo me: tum qvod male locutus ſim, exprobrando. Nego qvod ſim male locutus. tibi igitur incumbet probatio. *Dehinc retorqvet teſte crimen objectum in ipſum miniſtrū*: ſi neqvis probare: male cecidiſti me, & propterea es puniendus. *Sed lubet etjam illud proferre convicium: qvod* ſancto Prophetæ Jeremiæ *factum d. cap. 37. v. 13. ubi portæ præpoſitus* Prophetam *porta egresſurum reprehendit, dicendo*: ad Chaldæos tu transfugis. *Convicium hoc adeo fuit atrox: ut nullū atrocius tum temporis in obſidione cogitari potuisſet. Qvod ſi ex voto noſtrorū* retorqvere *voluisſet* Propheta; *ſic informanda* Retortio *fuisſet*: Tu mentiris ut transfuga, proditor, ſceleſtus &c. *Sed alio fuit ingenio vir mitisſimus, ſimpliciter negando crimen objectū*: falſum eſt, qvod dicis: Ego non transfugio; vel non ſum transfuga. *Neq; vero ex hoc reſponſo*, falſum eſt, *colligitur hoc, qvod idem ſit: atq; ſi dixisſet:* tu mentiris: *cum potuerit Præfectus portæ hujus criminis ipſum, ſine calumniandi animo, ſiniſtra qvadam ſuſpicione perſvaſus (inprimis cum ſui officii esſet, ne qvis ad hoſtem transfugeret præcavere) inſimulasſe: qvia hæc verba*, falſum eſt, *hanc interpretationem admittere posſunt*: tu erras: falſo tibi perſvaſum eſt, *vel*, calumnioſe ſum apud te delatus: qvod ſim transfuga.

LII.

Sed hæc ratio *Retortionis*, inqvies; non penitrat: nec exonerat crimen convicii à me in conviciatorem; ſed remanet penes me: (a) ut alio mihi opus ſit remedio: nimirum, *actione injuriarum, qva vulnus hoc inflictum famæ meæ curare qveam. (b)* Verum hoc non eſt, inqvis, mearum virium: *Adverſarius eſt potentior: Judex eſt mihi ſuſpectus:* vel non ſum ferendis *judiciorum expenſis*: qvo jus meum perſeqvar: *litium tela* foret *longa* nimis; cujjus exitum vita præſtolari mea non posſet; & ſi qvæ ſint ejjus generis alia obſtacula? (c) Ergo ſaltim his caſibus vulgo recepta *Retortione* frui integrum erit mihi; ne huic *infamiæ tandem cogar immori; qvæ mihi per convicium injuſta fuit.* Non diffiteor, hoc noſtro præſer-

tim tempore hujuſcemodi viris bonis impedimenta obicem ponere poſſe. (*d*) Sed ne hoc qvidem caſu vulgatæ Retortioni locum concedo. Obſtat enim mandatum divinum: *Benedicite devoventibus vos: (e) non retaliantes malum malo: avt convicium convicio: (f)* & id generis alia. Qvid igitur hic faciendum? id qvod jubet nos facere ſummus Legislator: *Ne reſiſtatis malo: ſed ſi qvis te cædet in dextram tuam maxillam, obverte illi potius & alteram: & ei qvi te velit in jus trahere ac tunicam tuam tollere: permitte illi, & pallium (g) potius*: qvam ut avt *privatam (h)* tibi *vindictam* male reſiſtendo, vel *recriminando* ſumas: avt defendendi res tuas ſtudio, vel indignum qvid *fide Chriſtiana*, avt *bono viro* admittas: vel te inextricabilibus, cum animi perturbati rancore perpetuo, bonorumq; omnium jactura (*i*) litibus involvas. Neqve eſt; qvod *infamiam (k)* ex hac patientia tibi conflatum iri metuas: cum nemo, niſi *ex proprio ſuo à ſe perpetrato maleficio*: non avtem per *calumniam impacto*, vere *infamis* fiat.

(a) *Neqvaqvam. Si enim ſis* integer vitæ, ſceleriſq; *objecti purus: nulla poterit te calumnia criminibus ullis obnoxium facere. Et merum hoc eſt* Phantaſiæ Dd. noſtrorum, *immo etiam illorum, qvi ſunt vulgi de fæce*, ſomnium: *nullo nec* præcepto: *nec* exemplo *probatum: qvod falſo per convicium in aliqvem conjectum crimen, infamia conſpurcet illum: & qvod ope* Retortionis *crimen mihi impactum retorqveatur, & à me ſic retro transferatur in conviciatorem: ut ego ſim ita liber ab illo: ut ſoli jam incumbat hoc adverſario.* Fictio *hæc eſt vana, in puro puto Dd. cerebro prognata: & inepte eſt imagi*naria, *non vera hæc* translatio: *nulla nec* ratione: *nec lege ſubfulta. Si enim* objecti criminis inſons ſim convitiis adſperſus: *non opus eſt mihi exoneratione ejus rei, qva nunqvam oneratus fui.* Sin reus: *exonerari non poſſum illo, qvod Dd. ipſi fatentur. Sic contra:* Si conviciator ſit ipſe eodem crimine liber: *Retortio mea ipſum non poteſt*

illius

illius reum facere: multominus condemnare: quia non eſt homicida: qui non occidit hominem: & qui reus criminis revera non eſt: non poteſt illius nomine condemnatus cenſeri. Si vero idem Conviciator jam ante conſpurcatus eſt hujjus criminis macula: fruſtra eſt & ſuperflua retortio mea. Neq; verò actiones injuriarum, in quarum locum ſubſtitutã Retortionem Doctores vulgo, ſed falſo credunt, hanc vim habent: vel huic inventæ ſunt: ut mihi crimen objectum, in conviciatorem meum exonerent: ſed ut puniant injuriam mihi factam: & hoc ipſo me inſontem, & non jure mihi factum convicium declarent. (b) Neceſſitas ad agendum me nulla cogit: ſed ſufficit coram auditoribus convicii: ſi a me objecti criminis noxam, quod illius non ſim reus, amoverim, verbis quibuscunq; Si enim auditores viri boni ſunt: excuſatione mea contenti erunt: cum vir bonus neminem ſine magna cauſſa in ſuſpicionem improbitatis vocet. Sin mali & ad ſuſpicandum proclives, ne quidem jurato, & plus millies retorquenti mihi ſunt fidem habituri: ut ſupra part 2. th 2. lit. d. dictum. Interim tamen ut malevolorum ſuſpicionibus obcurratur: utile eſt injuriarum agere, & honorem ſuum vindicare. (c) Quorum aliqua exponuntur a Volcmanno d. ſupra loc form. 1. (d) pro dolor! nimis vera ſunt illa viris bonis obſtacula obpoſita: inprimis ſi Judiciorum illos conſideres Harpyjas, non modo in ſportularum varii generis exactione: ſed etiam in Actuariorum & Procuratorum ingluvie: miſeros litigantes ſuis expilationibus non tondentes; ſed deglubentes penitus. (e) Matth. d. cap. 5. v. 44. (f) Petr. 1. d. cap. 3. v. 9. (g) Matth. d. cap. 5. v. 39. 40. (h) Sunt enim hæc effata non proprie, ſed metaphorice; & non ἁπλῶς abſolute: ſed συγκριτικῶς reſpective, vel comparate ſic accipienda: ſi vel Magiſtratus obficium quis implorare nequeat: vel ille ſuo recte non fungatur obficio: vel ſi propter conruptum judiciorum proceſſum: aut ſuam inopiam: aut adverſarii potentiam: aut alia quævis obſtacula, quæ removeri non poſſunt, qui juſtitiam deſiderat, jus ſuum in judicio perſequi non valeat: quod his & ſimilibus in cauſſarum circumſtantiis, potius vir bonus nedum Chriſtianus jure ſuo cedere: violenter inlatas injurias patienter ferre: & jacturam rerum ſuam facere; quam pertinaciter cum ſuæ ſalutis, fidei, & bonorum diſpendio reſiſtere, malo fruſtra debeat: quo-

modo latiſſime locum hunc contra Photinianorum *&* Anabaptiſtarum *abuſus explanat Clariſſimi nominis* in Academia Jenenſi Profeſſor Theologus Dn Johan. Gerhard. *loc. com. tom* 6. *de Magiſtr. Polit. art.* 2. *de Judic.* (i) *Prout enim hodie res ſunt in Judiciis noſtris proh dolor comparatæ! ſi unqvam fuit illud* Heſiodi *lib.*1 *proverbium,* πλέον ἥμισυ παντὸς, *hoc eſt*, dimidium plus toto, verum: *hodie eſt illud in his caſibus veriſſimum: in qvibus ut plurimum contingit, ut plus expenſarum judiciis ſit impendendum; qvam exinde per litium proceſſus repeti qveat. Adeo ut adſpernandum non ſit hominis ſervi, apud* Terent. in Adelph. *act.* 2. *ſc.* 2. *conſilium ab Evangelico parum diſcrepans præcepto:*

Potius, qvam venias in periculum Sannio:
Servesné, an perdas totum: dividium face.

(k) Infamis *enim ut aliqvis cenſeatur; oportet eum, ut talis ſit; vel ex* decreto juris; *ſive* ipſius; *ſive* Judicis; *qvæ in ſpecie dicitur* infamia Juris; *vel* ex facto ſuo revera turpi; *ſed ob qvod nondum eſt condemnatus: qvæ dicitur* infamia facti: *vel* tantum ex opinione gravium virorum, *qvæ* levis tantum notæ macula (*non infamia*) *vocatur notatum fuiſſe. Ad* primum, *&* ſecundum genus *referri neqveunt* convicio *qvopiam innocenter adſperſi. Nec etjam ad* tertium: *qvia vir* bonus, & gravis *non modo innocenter convicio proſciſſum non habet pro eo, qvi ſit tali macula notatus: ſed potius miſeretur fortunam ipſius: in qvam etjam optimi qviq; per malevolorum calumnias devenire poſſunt. Et cum expreſſo juris textu in fin. l.* unic. *C.* famoſ. libel *probetur: qvod* famoſus libellus alterius opinionem lædere non debeat: *multo magis hoc de qvovis alio convicio non ſcribto ſtatuendum: qvod pluribus declarat* Dn. Bocerus *per tot. cap.* 4. de famoſ. libell. *Et hoc ipſum eſt Divi* Caroli V. *ſanctione circa injurias inter Mechanicos incidentes* in Comitiis Auguſtanis, *ſubceſſive ter cautum: & poſt à ſucceſſoribus* in Comitiis Spirenſibus: *item* Ratisbonenſibus *& diſtincte* in Francofurtenſibus *inter Ordinationes Politicas tit.* 38. Von Handwergeſöhnen Geſellen / etc. §. Es ſollen auch: *his verbis repetitum:* Es ſollen auch einige Straffen von Handwergsmeiſter / Söhnen vnnd Geſellen nicht mehr vorgenommen / auch keiner den andern weder ſchmähen / noch auff: vnnd vmbtreiben /

oder

oder vnredlich machen. Welcher aber das thut/ das doch nicht ſeyn ſoll/ ſo ſoll derſelbige Schmäher ſolches für der ordentlichen Obrigkeit des Orts ausführen. Ob aber der hierinne vngehorſam erſchiene/ ſo ſoll er von derſelben Obrigkeit nach geſtalt der Sachen geſtrafft/ vnnd für vnredlich gehalten werden: ſo lang vnnd viel/ biß daß es/ wie obſtehet/ außgeführet. Es ſoll auch derſelbige/ ſo geſchmehet worden/ keines weges außgetrieben/ ſondern bey ſeinem Handwerg gelaſſen/ vnnd die Handwergsgeſellen mit vnnd neben ihm zu arbeiten ſchüldig ſeyn/ ſo lange biß die angezogene Injurien vnd Schmach/ gegen ihme/ wie ſich gebühret/ erörtert wird. *Qvæ in Conſtitutione hoc obſervandum: Licet inter opificum vulgus, & infimam plebis fecem nihil freqventius ſit*, Retortione vulgari: *qvam exercentes plusqvam pueriliter & aniliter putant: ſe in Conviciatorem à ſe crimen objectum exoneraſſe penitus: qvod tamen* Imperatores *hujus* Retortionis *efficaciæ prætenſæ, ne minimam qvidem fecerint mentionem: ſed in hoc genere injuriarum cautum voluerint.* Primum, *qvod injuriam paſſus nulla, ne minima qvidem* infamia *debeat oneratus cenſeri: ſed in honoris ſui ſtatu integro per Magiſtratum defendi:* donec coram Magiſtratu ſit criminis objecti per conviciantem convictus. Deinde *qvod Conviciator debeat ſtatim* injuria adfectum coram Magiſtratu delicti illius per convicium exprobrati nomine, *qvo ipſum diffamare voluerat*, adcuſare: *& illius Reum convincere. Si negligat hoc, qvod debeat una cum infamiæ nota puniri.*

Qvibus poſitis, nullus adparet omnino Retortionis *uſus. Paſſus enim injuriam* nulla oneratus eſt infamia: *& ſic nulla* purgatione *ſibi eſt per* Retortionem *opus. Neq; neceſſe eſt injurias inferentem hoc onere; ut cogatur injurias paſſum criminis convincere; niſi velit infamis eſſe, per* Retortionem *prægravare: cum jam ante ſit vi* ſanctionis hujus: *ad hoc onus ſubeundũ conpulſus. Qvod ipſum eſt evidentiſſimũ, nevtiqvã & nunqvam probatæ* Retortionis *argumentũ. Siqvidem alias* ſacratiſs Impp. *ſine ullo negotio, hiſce ex opificum injuriis ſubortis, perplexitatibus, qvibus ut remedium adhiberi poſſet, tam ſolliciti fuerunt in Comitiis, promtiſſimã hanc adhibere medelam, per ſolius* Retortionis *interventum, potuiſſent: utpote per qvam inju-*

injuria conſperſus, *ab omni* infamia, *qvæ mediante* Retortione *in conviciatorem rejecta fuisſet, liber & immunis, res ſuas egere ſecure potuisſet. Et ſane ſi Votis proficere liceret aliqvid, maxumopere hic optandum esſet! hanc ſanctisſimam Conſtitutionem ad cujuscunq conditionis in* Impp. Germanico *ſubditos extendi posſe. Ad qvam* extenſionem *ſi Dd. noſtri tantum contulisſent operæ: qvantum* Retortionis *pernicioſo dogmati dederunt: longe meliore, ſtarent in civili conſortio converſationes ſubditorum loco: & infinitis calamitatibus anſa præciſa dudum fuisſet: qvæ magis atq magis indies ex hiſce Dd. tot ingruentibus, ſed* pietatis, juris, & bonorum morum *expertibus, commentis proh dolor incrementum ſumunt!*

LIII.

Sed urgebunt adhuc, inqvies, *Auctoritates tot Doctorum*, qvi *communem conficiant opinionem: à qva non ſit recedendum in judicando:* qvicqvid tandem *in Scholis* diſputetur (*a*) de principio *Auctoritatis opinionum* valde fragili & labili ſupra ſat dictum. (*b*) Et qvod à *communibus opinionibus* noſtro tempore recedatur ſæpius: non eſt novum. (*c*) Qvicqvid avtem ſit: Jus illæ, per omnia *novum*: & *novum juris articulum*, qvalis hic eſt, extra, & præter Jurisprudentiæ præcepta, ad introducendum *novum, obligationis injuriarum tollendæ, modum* conſtituere non posſunt. (*d*) Neqve tam eſt hæc *opinio vetuſta*: & ſibimetipſi conſtans: ut qvibusdam videtur: Cum, ſi rectius *auctoritates* discutiantur, (*e*) adpareat: illam esſe recenter invectam: & multis adhuc inter ipſosmet Dd. controverſam.

(*a*) Dicat Clarus, qvicqvid velit, *inqvit* Centolinus *d. conſ.* 35. Contraria opinio ſine dubio magis communiter eſt recepta: à qva in judicando non avderem recedere: *teſte* Farinac. *d. loc. qvæſt.* 105 *num.* 318. (b) *hac parte* 3. *th.* 20. (c) *immo qvod judex ab illa, ſi* legibus & moribus *adprobata non ſit, recedere in judicando cogatur omnino: Cum* inprimis illud obſervare debeat judex: ne aliter

ter judicet: qvàm legibus, avt moribus (*non avtem communibus opinionibus*) proditum eſt: *d. ſæpe. pr. l. off jud.* (d) *hoc enim* ſolius eſt illius: *qvi pro* Jure Majeſtatis *habet legis condendæ poteſtatem: qvæ non poteſt in* Dd. Commentis, vel Conſiliis *precio redemtis reperiri.* (e) *Qvod ut exempli tantum gratia in illis Doctoribus, qvi meis ſunt in manibus, teſtatum faciam: adlegatur à* Dn. Bocero, *qvem in adlegando modierni pleriq; ſeqvuntur*, ex vetuſtioribus, & in acie prima *collocatur* Speculator *tit. de* advocat. §. Jam nunc videndū. *num.* 3. *ubi hoc tantum dicit: qvod* Advocato, ſi provocatus conviciis, à parte adverſa *liceat ſecure dicere:* tu mentiris; *præmiſſa tamen* proteſtatione: de non injuriandi; ſed juris ſui conſervandi animo: qvam contra communem *noſtratium*, proteſtationem *improbantium*, opinionem, *de qva teſtatur* Harpr. *latiſſime d.* §. Injuria avtem J Injur *num.* 80. multum operari docet. Rationem *hanc unicam ſubjicit:* qvod crudelis ſit, qvi famam negligit ſuam, qvod, qvi dicit, qvæ vult; qvæ non vult, avdiat, &c. *Unde cavtelam hanc Advocato ſubpeditat:* ſi te loqvente, *inqvit* (*Adverſæ partis Advocatus*) ſtrepitum facit: vel ſuſurravit: & tu contra eum ſcandalum facias, vel ſuſurres. Sic enim ars deluditur arte: & lex æqvior nulla eſt: qvam necis artifices arte perire ſua, &c. *Qvæ præcepta mihi qvidem* parum Chriſtiana: *immo, qvorum etiam* Ethnicos ſapientes *merito puduiſſet, inſulſa & rancida videntur. Et licet hæc Auctor, hoc loco* Retortionis *mentionem faciat nullam: ſi tamen ex hoc fonte derivari volunt* Dd. noſtri *hoc dogma: profecto inavſpicatum hoc eſt* principium, *ab ipſomet, eod. lib. tit.* de accuſatore *in not. num.* 11 *nervoſe refutatum. Ubi cum proponat hanc qvæſtionem:* ſi te vocavi latronem, & tu me: *nunqvid ex hoc* poſſumus nos mutuo adcuſare; *vel*, ut vim vi repellere. *ſic* injuriam injuria retorqvere! *Et licet primum argumentetur* pro Retortione *per d. l.* ut vim, *& l.* 14. bon. lib. *una cum aliis: tamen poſtea concludit: qvod* qviſq; pro ſua injuria agere poſſit, *non obſtante paritate:* cum injuria perſeqvendo injuriam non propulſetur, vel tollatur: ſed potius adcumuletur. *Et ita* Speculator *plus impugnat: qvam propugnat* Retortionis *Patronos.* Deinde Jaſon *ad l.* ut vim, *num.* 36. *qvi qvæſtioni motæ:* Liceatne verbalem injuriam facienti aliam injuriam

Digitized by Google

dicere *adlegato* Speculatore *ſibi diſplicente, &* Bartolo: *reſpondet:* qvod ſic: qvia licitum ſit hoc pro cavſſa vitæ, qvæ cum fama procedat à pari. *Et qvia per d. l.* 25. textum valde ſolemnem, *liceat dicere:* tu mentiris. *Qvibus argumentis reſponſum ſuo loco.*

Item Bartolus, *qvi ad d. l.* 25. *dicit:* qvod licite poſſis dicere: tu mentiris: *ſi qvis dicit*, te commiſiſſe crimen: *idqve probat, per d. l.* 14 *ad qvam ſuo loco reſponſum. Item per l.* ſi qvis in gravi 3. §. utrum 14. ad Senat. Sillan. *verum qva non agit de* retorqvendo: *ſed tantum de illo, qvi cum adcuſaretur, ipſe* detorſit crimen in aliū: *ſcilicet non in conviciatorem (qvi nullus hic: cum agatur* de adcuſando: *non* conviciando) *ſed in tertium qvempiam. Deinde per l.* libertus 14. in Jus vocan. *ſed qvæ nibil ad rhombum.*

Felinus *loco adlegato: Qvi injuriam dicenti licere putat dicere:* tu mentiris: *ſi fiat* animo tantum defendendi: *ſi* verum dicat: *& ſi* proteſtetur de animo non injuriandi: *qvi loco probationis ſe refert ad* Bart. *d. jam loco.*

Panormitanus *dicens: qvod* qvi purgandi animo *dixit criminanti:* tu mentiris: *non* teneatur injuriarum: *Avctoritate* Bartoli.

Alex: *ab* Imola *dicens:* ſi tu dicis falſo: qvod ſim homicida: *Et ego reſpondeam:* qvod mentiris: *inpune facio: Avctore* Bartolo.

Angelus *de* malef. *in gl.* verba injurioſa *num.* 9 *idem adſerit, cum priore* ex Bartolo.

Adlegatur à Mynſingero *etiam* Baldus *ad l.* 1. *C.* unde vi *num.* 16. *ubi hanc qvæſtionem movet: Ecqvid* minas jactantem armis repellere liceat: *& reſpondet: qvod* verbis reſiſti per verba debeat: non ad manus, & arma venire: *Qvod huc parum, vel nihil facit.*

Ex recentioribus *adlegatur* Hulderichus Zaſius *d. loco: ubi hæc qvæſtio movetur:* Si qvis contra me dicat: mentiris: *qvod poſſim* in vim defenſionis *dicere:* immo tu mentiris: *ita per* Doct. *hic. Qvæ cum hujus loci qvæſtio non ſit: & nihil ad probandum adlegetur: parum nobis negotii facit.*

Dehinc Jodocus Damhuderius: *qvi hoc tantum dicit:* ſi graviter provocatus ex animo commoto *dixerit injuriantem* mentiri: *& hæc* injuria verbalis reciproca ſit: *qva alter offendit alterū: qvod illa neqvaqvam punienda: modo non ſint nimis enormes injuriæ: ſed nulla ratione ſubjecta.* Berenh. Wurmſ. *tit.* 47. *obſ.* 4. *ubi dicit: qvod* inju-

Digitized by Google

injurioſa verba *dicenti. poſſim dicere:* tu mentiris: *ſi vero me* ſpuriũ dicenti, *dicam:* tu es fur: *injuriarum conveniri poſſim: adlegendo* Bart. *loc. ſup. dict. in obſ.* 18. *repetit idem. Et loco probationis exſcribit* Speculatoris rationes *ſupra relatas.*

Johan. Coraſius *d. in miſc. loc.* de Retortione *nihil habet: ſed in Comment. ad l.* Si tam anguſti. Servit. *n.* 5. *&* 6. *hoc conatur defendere: qvod liceat* honoris defendendi cavſſa *dicere:* tu mentiris. Specul. *&* Bartol. *adlegando.* Johannes Schneidevinus *hoc tantum habet d. loc. qvod* provocato ſui honoris cavſſa *liceat dicere:* tu mentiris: *ex* Bart. Matth. Weſenbec. *loc. adleg.* Verbalem injuriam verbis repelli *poſſe arbitratur: pro ratione adlegans tantum l.* ut vim. 3. *ff. & ff.* Joan. Vavdus *putat eum, qvi laceſſitus* præſens præſenti vere *dixerit* pudoris ſui purgandi *gratia:* Tu mentiris, *non obſtringi laceſſenti.* Rationem *reddit ex d. ſæpius l.* 25. *& ex l.* 2. *§. pen.* aqv. pl. arcend. *qvod* non delinqvat agens: ne ſibi ſit nocitũ: non etjã alteri. *Qvæ ratio hic non ſtringit: cũ* Retorqvens *agat, qvod* alteri nocet: *qvia infert injuriã ipſi: & eo ipſo ſibi nihil prodeſt: nec facit* ne ſibi ſit nocitũ: *cum retorqvendo injuriam ſibi inlatam non jure vindicet ſuũ honorem: ſed* privatam vindictã *exerceat: qva ſuo pudori conſulere non poteſt jam dudum læſo Deinde argumentatur ex l.* ut vim, *& l.* devotum. *C. met. Item qvod* mutua delicta penſentur: *qvod* veritas excuſet à delicto. *Qvæ omnia ſunt ſupra contra Fachineum refutata. Ceterum ad illud: qvod* non peccet, qvi provocatus fecit, *qvi cavſſam delicto faciendo dedit &c. reſpondeo: qvod Ll. in hunc uſum adlegatæ loqvantur* de realib injuriis & damnis: *& illis qvi* neceſſario ſe defendere *tali modo fuere coacti: & qvi cavſſa propria & per ſe damni dati fuere. Qvæ omnia hoc* in retortionis *caſu ceſſant: cũ* ad retorqvendũ nemo cogatur: *nec conviciũ hoc per ſe,* ut Retortio *fiat, cavſſetur: cũ injuriã paſſꝰ jure ſe poſſit* publico vindicare *ſi velit.*

Inprimis autem celebris eſt avctoritas Dn. Andreæ Gaylii, *qvi contendit: qvod, cui eſt objectum convicium, poſſit in facientem aliud convicium* in continenti *retorqvere:* tu mentiris. *Ratio potiſſima:* Qvia in retorqvente abſit animus injuriandi: *&* calor inconſultus calumniæ vitio careat. *Item illa: Qvod liceat* vim vi repellere; & ſic injuriam injuria retorqvere: *adlegando* Bartolum, Angelum, Jaſonem, Alexandrum, Specu-

latorem, Panormitanum, Decium. *Ratio* poſterior *cum ſuis avcto-ribus refutata ſæpius ſupra th.13 cum ſeqq. part.3. & th.14. cum ſeqq. part.2.* Prior *hac eadem theſi, & th. 39. part. 3. Qvam breviter repeto. Si enim* Retorqvens *animum injuriandi non habet: oportet ut habeat animum* ſe defendendi: *qvæ defenſio in eo verſabitur: ut objectum convicium vel* repellatur: *vel* purgetur: *ſed neutrum horum dici poteſt. Non igitur & illud. Probo* adſumti *partem* priorem. *Qvia convicium jam* factum & adceptum: *qvod non poteſt repelli. Deinde* nulla neceſsitas *ad repellendum cogit: qvia poteſt injuria adfectus ſe per Magiſtratus interventum defendere, ſine ulla honoris jactura. Ceſſat igitur* defenſio neceſſaria, *qvæ ſola eſt permiſſa. Probo &* poſteriorem: *Qvia* purgatio *eſt abſterſio maculæ ſibi adſperſæ Sed qvi refert conviciatori aliud convicium: is maculam ſibi injectam non abſtergit à ſe: ſed contra aliam convicianti maculam inſpergit. Suam ſibi injectam retinet: & ſic nihil agit aliud: qvàm ut ſe maculantem* remaculet, *ut ita loqvi liceat: cujjus certaminis finis eſt, ut* uterqve maculatus recedat. *Immo verum eſt hoc: Qvod* Retorqvens *animū injuriandi habeat: qvia injuriam retorqvet in hunc finem: ut* lædentem ſe, relædat: *teſte* Frantzkio *d. loc. utq;* ita ſe ulciſcatur privato avſu: *qvod eſt jure prohibitum.*

Andreas Fachineus Gajlium *ſecutus multis argumentis pleriſq; ex* J. Var. *petitis;* Mentitam *propugnat: qvæ ſupra ſunt th.38. cum ſeqq. reprobata. Qvi præter alios jam ante inductos adlegat* Pavl. Caſtr. *ad d. l. 25. qvi dicit:* Mentitam hanc Procuratoris injuriam non eſſe: *adlegata d. l.14.*

Item Bertachinum, *qvi cum* Bartolo *tranſit adlegato.*

Anton. Capycius à Fachineo *adlegatus verſatur in qvæſtione: qva* Mævius exſtirpatoris *Univerſitatis convicio jactatus, Titium convicantem*, remaledicendo *vocarat Latronem. Et licet* Capycius *inclinarit in conpenſationem:* Dicaſterium *tamen* Neapolitanum *in cavſſa adpellationis priorem Magnæ Curiæ ſententiam probavit,* Titium *condemnando: ſed pœna; qvia provocatus remaledixerat, mitigata: ita ut hæc deciſio ſtet contra* Fachineum.

Farinacius *d. loc. num. 315. 318. & 333 qvid verum eſſet, vidit: ſed à* communi opinione *in judicando, ſi* Retortio *ſit* in continenti

facta,

facta, recedere non eſt auſus: Si vero ex intervallo mentita fiat: qvod puniri debeat: ut ad Conſil. 35. Farinacii addit. Fam. Centolin. *ſub lit. L.*

Cum Facbineo tranſeunt Philip. Hœnonius, Matth. Stephanus, Lud Gilhavſen, Johan. Gœdeus, Leopoldus Hacelmannus, & Joh. Niellius, *qvi* Bartolo, Jaſoni & Gajlio *cõmuniter adſiſtunt.*

Daniel Mollerus *ſolius avctoritate* Bartoli *contentus.*

Dominic. Arumæus *nititur l. ut vim 3. Et argumento à* fama ad vitam: *qvibus ſupra reſponſum, ſed non aliter: qvam ſi fiat* Retortio in continenti: *qvem ſeqvitur* Joh. Ludovicus Langius Norinbergenſis *decad. 9. qvæſt. 3. Qvi neceſſitatem retorqvendi putat hinc defendi poſſe: qvod* poſtero die in probatione poſſit ſubcumbere *ob defectum teſtium. Verum excuſatio calva hæc eſt. Si enim* adfuerint convicii avditi teſtes, *horum fidem poteſt injuria læſus implorare: qvi veroſimiliter eodem die morituri non ſunt. Si* nemo convicio jactato adfuerit, *fama læſa non erit: utpote qvæ* in avditoribus *tantum læditur: cum ſicut* Ovidio *teſte*: Non erit ignotæ gratia magna Lyræ: *ſic etiam convicii à nemine præter convicio petitum exavditi nullus eſt effectus.*

Pavl. Berenſ. Hamburg. *inſiſtit per omnia Facbinei & partim* Obrechti *veſtigiis.*

Jacobus Schultes *plerorumq; ſuperius commemoratorum ſecutus avctoritatem probat & ipſe* Mentitam: *ſi fuit* absq; animo vindictæ: ſolius defenſionis *ſtudio. ſi crimen objectũ* ſit falſum: *ut* Retorqvens vere *dicat convicìantem* mentiri. *Et ſi fiat* in continenti: *nulla tamen alia ratione motus, qvam qvod putet: Si* Titius *falſi, vel alterius cujusvis delicti arguat* Sempronium, *& hic illum* mentiri *referat: qvod eadem in re verſans mutua criminis objectio (cum* Sempronius *arguatur falſi, qvi id verum non eſſe contendit)* compenſatione *tollatur. Qvæ ratio mihi ſubſiſtere non poſſe videtur. Cum aliud ſit delictum; qvod* intorqvetur; *nimirum* furtum, latrocinium, adulterium, *aliud vero qvod* retorqvetur: *puta*, calumnioſum mendacium: *qvæ qvomodo verſentur circa idem factum, vel in eadem re mihi perſpicere non datur: adeo ut dicendum ſit hic*: Ceſſante cavſa decidendi ceſſare deciſionem ipſam: *prout contra deciſum eſt in conſilio* Neapolitano, *teſte* Grammatico *deciſ. 37. circa fin.*

Et hi ferme omnes in hiſce terminis conſiſtunt: ut retorqvere convicijs putent eſſe licitum, per, tu mentiris: nec ultra progreſſi videntur. Qvorum omnium opiniones ex ſolius Bartoli & Speculatoris (qvorum hic ineptis: ille duarũ legũ 14 & 25. male ſubintellectarum rationibus eſt abuſus) cerebellis ſunt derivatæ. Intra qvos etiam ſe continuiſſe videtur Georg. Frantzkius: cum non adverterim ipſum adlegaſſe, cum furibus, latronibus &c. qvenqvem. Conatur ille ſuſtinere langvidum illud à comparatione vitæ & famæ argumentum, hac potiſſimum ratione: Qvod talis retortio neceſſaria ſit: qvia & ſecuturis convicijs, ne fiant, obcurrat; & præterita facile repellat: ne in animis avditorum radices agant. Utrumq; lubricum ſatis. Qvia qvoad futura, per Retortionem, ut ſuo dictum loco, potius excitantur convicia plura. Et ſi qvis hoc animo ſit, qvoad præterita; ut adſenſum in animis adſtantiũ inpediat: hic habet beneficium in jure ſibi conceſſum: qvo prævenire huic incommodo poteſt: Videlic. Modeſtam injuriarũ ad animum revocationem: & ſubſeqventem legitimam Vindictã: qvæ certiſſima ſunt huic morbo obcurrentia remedia: cum contra Retortio parum vel nihil operetur: qvia avditores, ſi mali ſunt; Retortionem flocci faciunt: Si Boni, ſola Revocatione ad animũ ſunt contenti: ut nulla cogat injuriam paſſum ad retorqvendum neceſſitas: ſine qva ut propulſatio violenta eſt injuſta: ſic & Retortio: ſi debent eſſe paria.

Veſpaſiani Imp. decretũ, cujus facta mentio ſup. th. 29. p. 3. parũ ad rem facit. Si de ipſa conſtaret maledicti & remaledicti tam forma: qvam materia: benené, vel male decretum eſſet, diſceptare liceret. De qvibus cum nihil conſtet: & hoc decretũ non reperiatur in Codice noſtro: nihil hoc aliud, qvam qvod apophtegmata ſolent, operari in judicio poteſt. Qvod remaledicere civile, & fas ſit: nemo Philoſophus Politicus unqvam dixit. Fieri vulgo ſolere qvidpiam in hunc modum, conſtat. Et ſi fiat moderate, pro ratione circumſtantiarũ, de qvibus ſupra dictum part. 3. th. 27. cum ſeqq. tolerari tale qvid poſſe, ne ſeverius puniatur, concedo: Civile faſq; eſſe, nego. Et ſi qvis hoc urgeat pertinacius: huic Ethnico homini Militari Div. Apoſtolum Petrum, & plura S.S. Scribturæ oracula, de qvib. ſupra dictum p. 2. th. 5. qvæ ἀντιλοιδορίαν vel remaledicendi conatum diſerte prohibent,

bent, obpono. Qvod a. putat recriminationem per tu mentiris etjam tunc ſubſiſtere, cũ vera non eſt: id plerisq; omnib. excepto ſolo Schradero, qvem propterea alii admordent, eſt pro Retortione pugnantibus adverſum: cũ qvib, qvomodo ſibi convenire qveat: ipſe viderit: qvia leges in hanc rem adlegatæ loqvuntur de reali injuria pleræq;. Subcedit jam Ludolfus Schraderus, qvi in hujjus infelicis & infauſti dogmatis ſocietatem primus omnium (ut ipſe gloriatur) adtraxit: ſceleſtos, fures, latrones, prædones, proditores, adulteros, & ejjus fariñæ alios qvoscunq; ſup. th. 41. & 42. hac part. 3. reprehenſus.

Qvem ſecutus, Schradero jactante, eſt, qvod in tanti nominis JurisConſulto, qvem in Acad. JULIA adoleſcens grandævum novi, miror, Dn. Joach. Minſing. d. loc. Sed qvi hujjus adpendicis rationẽ ex Ll fundamento nullã: ſolam autem hanc, qvam cum Schradero cõmunem habet, adtulit. Qvod hæc verba: Tu mentiris ut fur, latro, &c. ad unum eundemq; tendant effectum: ex qvibus diverſæ injuriæ non oriantur. Probare conatur hoc auctoritate Covarruv. reſol. lib. 2. cap 10. n. 8. v. 2. dicentis: Si qvis in alterum eodem impetu plura verba injurioſa protulerit, etiamſi diverſa ſignificent: non eſſe hunc cenſendum plures injurias, nec plura convicia intuliſſe: ſed tantum unum. Ad qvod probandum provocat ad text. in l. Item 15 §. Ait Prætor. de Injur. & ad Bartolum. Ex textu d. §. nihil adparet. Subſeqvens § Convicium: habet ſic: Cũ in unũ complures voces conferuntur, conficiũ adpellatur. Verũ hinc non infertur: qvod plures illæ voces diverſa ſignificent: multo minus, qvod ex his unica dumtaxat exſurgat injuriæ ſpecies. Bartolus ad hunc § docet contrariũ: Si omnino idem, inqvit, ſignificans pluries repetatur, qvod unũ ſit: ſed ſi ſint diverſæ orationes, ſignificantes diverſa, vel una oratio continens plura tendentia ad diverſos effectus: qvod tunc dicantur plura verba injurioſa. Jam ſubſumo: Tu mentiris ut fur, latro, proditor, adulter &c ſunt diverſæ orationes, 1. tu mentiris, 2 ut fur mẽtiris, 3 tu mentiris ut latro &c. diverſa ſignificantes. E. ex hoc convicio prodeunt injuriæ plures. Vel ſi una tantum ſit oratio. Eſt tamen illa longe atrocior & copioſior injuria: qvam ſi tantum fuisſet dictum: tu mentiris. Qvod enim adponitur ad illius qvalificationem, ut inqvit Bartolus, ſcilic. ut fur, latro, &c. ideo ipſo, qvod qvalificat prius, opera-

tur aliqvid amplius, & diverſum qvid à priori: qvod illi non inerat, anteqvam adponeretur. Qvod fatetur Harprecht *d.* §. Injuria *num. 81. dicens, qvod illa verba*, ut fur, latro, mendacium exaggerent. *Qvo poſito falſum eſt: qvod hæc verba*, ut fur, latro, &c. *ad unicum & eundem cum priore* Mentiris, *effectum tendant: cum prius convi*cium exaggerent, *& ſic effectum adjiciant diverſum. Unde etiam concluditur: Qvod propter hanc additionem pœna ſit* exaggeranda: *teſte* Gylm. *tom* 1. Symph. *part.* 2 *pag.* 30. *num.* 41. *Sed huic* Minſingero *in obſ. obpono* Minſingerum *in Reſp. 7. num. 26. ſic accidentem*: Injuriam injuria repellere legibus prohibetur; qvæ propterea concedunt injuriarum actionem, ad vindicandam injuriam in judicio: qvia nemini licet ſe propria avctoritate ulciſci: nec relatione: ſed innocentia crimina purgantur. *L. is qvi Pub. Jud. cap fin. in fin. & ibi gl. text.* Teſtib. *adlegato* Speculat. *tit. de adcuſator.* Angelo *l.* ut vim. *3. & 3.* Bartolo *l. 1. C. Unde vi. Qvod repetit Reſp. 51. num. 16. & hoc Reſponſum verbotenus recoxit* Gylm. Symph. *tom 2. part. 2. vot* 43. Georgius Obrechtus JCtus Argentinenſis *clariſs. in ſua Diſputatione* de Defenſione neceſſaria, *qvæ in exemplari meo* Urſellis *Anno* 1603. *procuſo, eſt* tertia, *magno conatur niſu contra* Angelum & Decium *hanc* Retortionis *doctrinam ex l.* ut vim. 3. *depromtam facere. Verum in Commentario ſuo, de hac eadem materia poſtea conſcribto, repudium huic opinioni ſuæ remiſit ipſemet. Et ex ſolis illis duabus Ll. 24. & 25. qvalem qvalem* Retortionis *formulam d. cap. 2. num. 17. & qvidem* in continenti *concluſam, exſculpſit: Sed à qva pavllo poſt, non modo* abſentibus *etjam poſt ſententiam* Retortionem *indulgens, ſed etjam licet ægre admodum in illud*, tu mentiris, *ſe diffundens receſſit.* Fachineum *ſecutus: etjam non improbato, qvem adlegat num.* 26. Minſingeri de fure, latrone, &c. *ſenſu, ſed nullis in hunc finem rationibus ſubjectis.*

Theod. *qvidem* Petrejus *expreſſis in hunc campum verbis non exſpatiatur. Qvia avtem magnifice conſilium* Schraderianum, *ex qvo derivantur hi rivuli, delaudat, qvod in has etjam partes tranſiiſſe lubitum ſibi fuerit, ſuſpicari licet.*

Sed Helfr. Ulr. Hunnius *Diſp. crim. 2. th. 29. omni remota dubitatione putat hanc clavſulam*, ut fur, latro, &c. *permiſſam: qvia*

furi

Digitized by Google

furi æqviparetur conviciator: *Et qvia ſint illa verba, ad* tu mentiris, *adceſſoria: novam injuriam non importantia. Rationes ineptæ: & hiſce viris indigna penitus. Qvod enim aliud ſit* Furem*: aliud* Conviciatorem *eſſe: vel pueris eſt notum. Et ſi ſub ſpecie adceſſorii poteſt hoc convicium velari: qvid fiet: ſi qvis dicat:* tu ſcribis, vadis, bibis, dormis, ut adulter, latro, proditor. *Nimirum hæc injurioſa non ſunt: qvia* ſcribere, bibere, &c. *non ſunt injurioſi actus.*

Subcedit Dn. Bocerus, *qvi præ aliis omnibus hæc* Retortionis *pomeria miris, & antea incognitis dilatavit modis: ut non ſolum* in continenti*: ſed etjam* ex intervallo: ex deliberato conſilio *per* Notarios, Teſtes & Libellos retorqvere *cuivis, cum* furibus & latronibus &c. *liceat. Et ita qvidem ut* Retortio *ſit modus obligationis injuriarum tollendæ ſingularis: adeo ut ſi qvis* Retortione *ſit uſus, poſt à vindicta legitima per actionem injuriarum penitus ſit excluſus.*

Hunc plenis velis ſeqvuntur cum Halbrittero, Joh. Herprechtus: *Et hunc* Matth. Berlichius: Collegium Argentoratenſe: *Et hos omnes*, Chriſtoph. Beſoldus: *qvi* ſolo Retortionem *hanc* uſu *ſuſtinet.*

Joach. Badius: ſceleſtos, fures & latrones, *etjam in noſtrate lingva, qvamvis mitiore, qvam alii ſenſu proferens, inter alia, qvæ ſuo refutata loco adducit* §. *fin. l.* 1. ne qvis eum qvi in jus voc. *Sed fruſtra. Is enim qvi exemit eum, qvi contra jus, vocatus in jus erat, plane nihil delinqvit: qvia is, qvi injuſte vocatus erat, comparere non cogebatur: atq; ideo exemtus dici non poterat. Hic vero* recriminans *delinqvit: qvia injuria adficit alium: qvod Legibus interdictum. Illud vero nimis qvam ineptum: qvod idem loco qvinti argumenti adfert:* Si injuria realis cum periculo vitæ conjuncta poteſt injuria pari, ſcilicet armis repelli: multo magis injuria verbalis, in qva periculum vitæ non eſt. *Qvia qvod defenſio* in reali injuria *eſt permiſſa facit* ſolum periculum vitæ inpendens: *qvod removeri, niſi defendendo ſe armis non poteſt. Qva ratio periculi cum ceſſet in* injuria verbali, *hæc cavſſa eſt: cur hic* Retortio *ceſſare debeat: qvia poteſt qvis pro honore defendendo judicio experiri, ſine illius jactura inrecuperabili.*

LIV.

Ex qvibus deductis cum adpareat, horum qvi pro *furibus, latronibus, &c.* pugnant numerum eſſe *exiguum* & longe *minorem* corũ, qvi *Retortionem ex intervallo per libellos, Notarios & teſtes* probant: omnium vero *minimum* illorũ: qvi cum Dn. *Bocero Retortionem* injuriarum *obligationis tollendæ modum* venditant. Hinc evidens eſt: ſi qvid valent *communes opiniones*: qvod illi, qvi nuper *novum* hunc *ex intervallo* per *libellos, teſtes & Notarios, retorqvendi* injurias: & *tollendæ obligationis injuriarum modum* intruſerunt, ſuperentur ab his; qvi vel repudiant eundem: vel qvibus hic omnino fuit incognitus: cum hujjus ferme nemo fecerit mentionem inter recenſitos; Si excipias *Bocerũ, Obrechtũ, Berlichiũ, Conlegium Argentoratenſe*, & qvi hos ſeqvuntur: ut ea propter hic retorqvendi modus ex *Acad. Tybingenſi* nuper proſeminatus, cum *adpendice* ſuo ſit etjam ex *Communium opinionum* foro relegandus: cujus in judicando debeat ratio haberi nulla. Cum *communis opinio* ſit hæc: *Qvod illa tantum Retortio, qva convicio adfectus, præſens in præſentem conviciatorem, ex juſto iracundiæ calore, & dolore, qvod ore prolatis verbis objectum erat, ore mox retorqvet*, hactenus ſit, ne pœnis conſtringatur, admiſſa.

LV.

Licet avtem alias in aperto ſit: *Si opiniones numerentur*: illorum, qvi pro *Retortione* generaliter pugnant; longe maximum eſſe numerum: ne tamen ab hac parte me ſubfragio omni deſtitutum qvis exiſtimet: lubet ex his, qvi *Recriminationem* averſantur, in genere vulgo receptam, aliqvos qvousq; mihi illos videre licuit, in medium proferre.

Inter qvos eſt Julius Clarus Alexandrinus Italus: *qvi Provocatum*

catum, ſi dicat, tu mentiris, *teneri actione injuriarum, etjamſi verum dicat, reſpondit: eamq; opinionem eſſe communem, auctore* Boerio *conſ.* 4. *&* Conſil. Neapol. teſt. Capyc. *d. dec.* 58. *& ſic in practica* ſervari *contendit*: Sentent. *lib.* 5 §. *injur. num* 14. *addita etjam hac ratione:* Qvod regulariter in delictis non excuſet provocatio: *idq; repetit d. l.* 5. §. *fin. pract. crim. qvæſt,* 60. *num.* 18.

Cui adſtipulatur Emanuel Svarez Hiſpanus *theſ. com. opin. ſub lit. I. num.* 73. *qvod* injuriarum actione ſe obſtringat, qvi mendacium alicui exprobrat: *tametſi &* vere, *&* provocatus *illum* mentiri *dicat: auctore* Boerio *poſt Conſvet. Bitur. conſ.* 1.

Johannes Fichardus Germanus *theſ. com. opin. lit. A. n.* 27. *Qvod actione injuriarum teneatur dicens:* tu mentiris: *licet dicat* provocatus *&* verum: *adlegans* Boerium *in Conſvet Biturg. conſ.* 1.

Clavd. Bertazollius Italus *in addit. ad Parent. conſil. crim. n.* 135. *lit. A. ubi ſic inqvit*: Injurioſo homini injurioſe reſpondere licet, *juxta* Menoch. Nattam; Vivium, Capycium, &c. *His addendi ſunt: duo* Germani viri *in his tricis non admodum acuti*; Andreas Gail 2. *obſerv.* 102. *&* Hartmannus Hartmanni (*ubi fallitur cum ſit* Berenhardus Wurmſerus *qvem carpit*) *lib.* 1. *pr. for. tit.* 46. *obſerv.* 18. Ego non gravate qvid ſentiam in hac re profero: nihil *enim* video apud noſtros, qvod ſolidum ſit: & oleat moralem illam Philoſophiam, & Philoſophiæ fontes illos: ex qvibus neceſſe erat iſtos deducere rivulos. *Hinc ſi qvis ſupra adductos* Interpretes *delibabit vel ſummis labris:* plus havriet limi ſordiumqve, qvam liqvoris. *Neqve etjam* Altiatum magnum virum excipio. Ita invaluit peſſimus ille decertationis uſus iraqve: ſed, non ut videor *conſpurcatos fontes* refodere ac reſtavrare: *Dico, verbum hoc* Mentiri *inportare proprie* negationem objecti criminis: *Qvod* licere unicuiq; injuriam paſſo admittit & Plato & Ariſtoteles. *Verum qvia increbuit opinio:* neminem mentiri, *niſi* mendacii conſcium, & adhibito ſtudio: *hinc vereor: ne minus* apte ac politice agat *ille: qvi* cum negando crimen ſuo nomini ſatis honeſte conſulere poſſet: privatæ *tamen* ultionis libidine, ad verbũ cõmuni opinione injurioſum præceps erumpit: *ſiqvidẽ eorundẽ* Philoſophorũ cõmune *eſt placitũ:* Gravis viri & magnanimi eſſe; avt contemne-

re injuriam convicii: avt eandem, qvod neq; probroſum eſt, ad Reipub. gubernatores deferre. *Peccatum vero an ſit*: in Philoſophiam: *an* in Legem: *ego non facile* pronunciarem. *Hactenus ille. Capite vobis hoc* Retortionum Doctores Germani, *ab homine* Italo! *cujus alias natio præ aliis* opinionum communium *in vago Oceano natare ſolet.*

Reinhardus Bacchovius Echtius JCtus Heidelbergenſis *in not. ad Vol.* 2. Treveler. *Diſp.* 30. *th. fin. lit. E. F. G. circ. fin. refutatis prius vulgo ex legibus pro* Retortione *produci ſolitis argumentis hoc* epiphonema *ſubdit*: Et tamen receptum eſt: qvod non tantum in continenti: *ſed etjam* ex intervallo: *nec tantum* ab ingnorante: *ſed etjam* qvi ab initio ſcivit: *nec tantum* verbis: *ſed etjam* litteris per Notarium & Teſtes alteri liceat retorqvere: *cujusmodi formulas qvam plures proponit* Harprehtus *ad tit. de Injur.*: Qvod qvidem, qvin alienum ſit à jure noſtro, dubitari non decet.

Ilico Ummius Friſius Butjada JCtus & Conſiliarius Oldenburgicus; *qvi in parergo Diſputationi* 14. de proceſs. jur. *ſubjecto, vulgo receptam* Retortionem *nervoſe obpugnat, illis, qvæ in contrariam partem vulgo proferri ſolent, ſolide confutatis. Qvamvis avtem* Valentinus Arithmæus *pluribus, qvæ parum ſtringunt, adlegatis tueatur partem adverſam: inter qvæ potiſſimum eſt: qvod ut* arma armis: *ſic* verba verbis *repellenda: tandem tamen fateri cogitur: qvod* Ummius ſe fere trahat in ſuas partes.

Hunc Ummium *ſecutus eſt*, Eraſmus Ungepaur JCtus & Profeſſor Pandect. in Academia Altorfina: *qvi pari ſtudio in contrariis argute reprobatis* Retortioni *repudium miſit Diſp. ad Inſt.* 13. *qv.* 10.

His ſubjungo Dn. Antonium Matthæum Haſſum, JCtum & Profeſſorem Marpurgenſem: *qvi in Diſp. ſua* 12. de princ. jur. aliter jaciendis, inter maculas *Jurisprudentiæ* Juſtinianæ *contra S. S.* Scribturam *interſperſas, etjam hanc recenſet in th.* 24. Retorqvere injuriam verbis inlatam, & convicianti conviciari licere probatur *vulgo ex l.* qvæ omnia, 25. Procurat. *l.* qvi cum. 14. §. ſi libertus. Bon. libert. *Ego contra*: non reddetis malum pro malo, avt convicium pro convicio, 1. *Pet.* 3. *v.* 9.

Qvas

Digitized by Google

Qvas maculas *abſterſurus* Do. Hermannus Gœhauſen, JCtus Profeſſor in Academia Rindelhejma *ad hanc in* peric. Acad *part.*1. *q* 14. *ſic avctore* Bachovio *reſpondet:* adhuc ſub judice litem eſſe: *an* Retortio verbalis *ſic in jure conceſſa: qvia neget* Julius Clarus, & *alii* à Greveo *relati: qvos ſeqvatur* Ummius & Bachovius: qvi ſatis apte *ad l.* 25. & *l.* 14. *vulgo adlegatas* reſpondeant, *Sane* dicere & adfirmare: qvod non tantum in continenti, ſed etjam ex intervallo: non tantum ab ingnorante: ſed etjam, qvi ab initio ſcivit: nec tantum verbis: ſed etjam litteris per Notarium & teſtes injurias alteri liceat retorqvere: *hoc* qvam alienum ſit à jure noſtro dubitari nec decet.

In ſpecie, Retortioni per Libellum *ſe obponit* Rutgerus Rulandus Hamburgus JCtus *de Commiſſ.* Cam. Imp. *p* 2. *lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 4. *ubi inter reqviſita* Notarii legitimi *refert:* ne Inſtrumentum Retortionis (*qvo hodie efficaciter de conſvetudine ſe uti qvidam perſvaſum habent*) inſinuarit: qvia actus ille jure communi adverſetur. *Cui fruſtra, & ſine viribus contradicit Diſp. poſtrema apud* Arithmæum *th.* 9.

Et Camera Imperialis Spirenſis *inprobavit illam adpendicem:* ut fur, latro, adulter &c. *Cum enim qvispiam ita retorſiſſet:* Du leugſt wie ein ehrloſer Mann: *Et deſuper in* Camera *conventus, qvamvis Adverſarii mendacium plane probaverat: tamen* propter adjecta verba: Wie ein ehrloſer Mann: condemnatus fuit: *ut refert* Conlector præjudiciorum Cameræ, *qvæ exſtant tom.* 3. Symphorem: Adrian. Gylman. *ſub verbo* injuria *verſ. fin. Qvo præjudicio ſic commotus eſt* Do Bocerus: *ut cl.* 4. *Diſp.* 3. *th.* 45. *in fine adlegationum, diſcipulos huc remiſerit:* & *cautelam illis circa* has adpendices *dederit:* ne qvid nimis: utq; ad circumſtantias perſonarum reſpicerent: & ſtudioſam proteſtationem (*qvam tamen cum aliis* ut inutilem *pavllo ante th* 30. *rejecerat*) de non injuriandi animo, adhiberent. *Sed* & *in Comment. de fam. Libell. d. cap.* 5. *n.* 48. *hujusmodi* adpendicum, *ut* fur, latro, &c. *pœne puduerit ipſum: qvando* timidiuſcule *tradit: qvod* licet ob rationes, qvæ non inprobabiles videri poſſint, *ex qvorundam ſententia* (*nimirum* Schraderi & Minſingeri *qvos adlegat*) *verbo* Mentiris *poſſint addi hæc verba: ut*

Digitized by Google

fur, latro, ſceleſtus &c. *qvod tamen* Cam. Imperialis illa videatur inprobaſſe.

In ſpecie iterum fictitio illi obligationis injuriarum tollendæ modo *ſe obpoſuit totum inluſtre* Conlegium Juridicæ Facultatis in Academia Gieſſena: *& eundem validis concuſſit machinis*, fruſtra repugnante Berlichio, *qvi ſupra hac part. 3. theſ. 47. ſub lit. E confutatus eſt*, Dn. Henricus Nebelcrajus Academiæ Gieſſenæ *Profeſſor publicus: & cum ipſo idem ſentit, idq; in famoſiſſima* Baſilienſium Academia *publice diſputando defendit:* Johan. Walfeldt Weſtphal. 1608.

LVI.

Ex qvibus in unam conlectis ſummam, & cum *Camera Imperialis* plurimorum: *Academia* item *Gieiſſena* multorum ſit inſtar: qvid obſtiterit: *Si alias ſeptem Doctores*, ut vulgo tradunt, *(a) opinionem communem* conficiunt; qvo minus illorum *duodecim (b) vel plures etjam*; una cum *Camera Imperiali, Conſilio Neapolitano*, & *Conlegio Gieſſeno* ſimile qvid moliri poſſint: inprimis ſi pro ipſis *Sacroſancta Scriptura: Philoſophia Ethica: Jurisprudentia Romana* : & *Reipublica commoda* pugnaverint: *(c)* ut ex ſupra dictis eſt manifeſtum.

(a) Anton. Maria Coratius *tr. de* commun. opin. *lib. 1. tit. 3. num.* 19. (b) *Inter qvos maximæ dignationis, & celeberrimi Juris-Conſulti:* Julius Clarus: Clavdius Bertazollius Itali: Nicolaus Boerius Gallus: Emanuel Svarez Hiſpanus: *Reliqvi Germani* Johannes Fichardus: Reinhardus Bachovius: Ilico Ummius: Eraſmus Ungepaur: Rutgerus Rulandus: Antonius Matthæus: & Hermannus Goehuſius, *Ex parte etjam* Henricus Nebelcrajus & Johan. Walfeldt Badbergus, *hic recenſiti: & dubium non eſt: qvin alii plures veritatis lucernam adſpexerint hucuſqve: qvorum libri, & ſenſus in meam non pervenere notitiam.* (c) *In dubio enim* communium opinionum conflictu *hanc, pro qva pugnant:* Pietas, Honeſtas, Juſtitia & Salus publica: *etjamſi numero ſub-*

fragio-

Digitized by Google

ſubfragiorum ſit parva, aliis etjam decies mille ſubſannatoribus fultam, debere præferri, nemo negabit: niſi cui Religio Chriſtiana *cordi non eſt: cui* vera Philoſophia *&* bonæ conſcientiæ *judicium ſordet: & in cujus animo* Juris principia *&* Salus populi *radices non egerunt altius. Qvod ſupra ad theſ. 20. part. 3: & alibi paſſim eſt pluribus argumentis & auctoritatibus explanatam.*

LVII.

Sed inſtabunt & reclamabunt φιλόδοξοι, vel potius δοξομανεῖς *(a)* noſtri: qvod *oleum & operam perdiderim* hucuſqve: qvia *conſtitutiſſimum (b)* ſit hoc: qvod ſi cavſſa *opinionum* fluctibus obruta ſit, Judex in judicando debeat ſeqvi *opinionem* qvidem *communiorem, meliorem & veriorem:* ſed ita, *ut verior communior, & melior* præſumatur illa: qvæ à *maijore parte* Doctorum *eſt recepta (c) & adprobata (d)* etſi contraria forte verior ſit viſa. *(e)* Ex qva jam ſit hoc evictum: utut à parte mea fortaſſe ſtent *decem:* qvod tamen hi nullius ſint ponderis: ſi cum XL. L. LX. vel etjam pluribus ab adverſa parte inter qvos ſint ex *antiqvis* aliqvi, *(f)* conferantur. Adeo ut Judex non tantum partem adverſam, contra qvam *militet communis opinio,* debeat *expenſarum cum cavſſæ amiſſione* condemnare: *(g)* ſed ſi *contra communem* judicet *(h)* cenſeatur; ſi non *nulliter (i)* ſaltim *iniqviter (k)* judicaſſe: & *male judicando litem ſuam* feciſſe. *(l)*

(a) Hoc eſt communiorum opinionum *ex hauſtis poculis inebriati (b) ut qvidam exaggerandi cavſſa, utut parum latine, loqvuntur (c) non qvævis: nec qvovis loco: ſed* qvæ in Commentariis *eſt diſputando, & arguendo defenſa: ut reſtringat* Menoch. *l. 2. præſ. 71. n. 39. & 48 (d) qvod probatum ſatis putat* Menoch. *d. l. 2. præſ. 71. num. 2. & 5. per l. 1.* Senat. *L. 1. v. & ſane.* off. qvæſt. *l.* Athletas.

tas. 4. his qvi not. infam. *l.* ita vulneratus. 51. L. Aqviliam. *l.* qvæſitum. §. ſed ſi fundus. fund inſtr. & inſt. leg. (*e*) Menoch. *d. loc. num.* 18. *Et licet aliqvando contrarium fuiſſet judicatum : etiam à* ſummi nominis Doctore *ibid. nu.* 17. 19. (f) *Qvi* recentioribus *præferendi* Men. *d. l. n.* 41. (g) Menoch. *ibid. n.* 3 (h) *poſſit de* Syndicatu *conveniri* Menoch. *d. loc. n.* 21. (i) *qvod volunt* Bl. Roſat. Fulg. Cyn. Angel. Abb. Butr. *& referente* Gabrielio *l.* 2. *de ſentent. concluſ.* 7. *n.* 24. *qvi tamen eandem repudiat ibidem, ex plurimorum avctoritate : una cum Vivio :* teſte Vigelio *cent.* 2. *deciſ.* 59. *& M. J. R. l.* 2. *c.* 18. *reg.* 5. *exc.* 30. (k) Menoch. *d. loc. n.* 28. (l) Schneid. *ad pr. J. oblig. qvæ ex de : naſc. n.* 16.

LVIII.

Sit ſane conſtitutum hoc inter Dd. vulgus: immo ſit *conſtitutiſſimum*, ſi placet: (*a*) ſed ita ut hoc ipſorum *principium* unqvam ab ullo *Legumlatore* in *jure Juſtiniano* (*b*) jactum uſqvam, vel conſtitutum hucusq; fuiſſe, diſerte negem: & hanc ob cavſſam confidenter hoc adſeram: qvod hæc & alia hunc in ſenſum prolata: *qvamvis hæc opinio unius vel plurium ſit; æqvior: verior: juſtior:* qvæ *Theoricæ veritati* congruat, *& in Scholis recte poſſit defendi:* qvod tamen *in foro, praxi, Judicio debeat* illi, qvæ contraria ſit, *altera ut communior: à qva in judicando non auſit recedere* qvisqvam &c. ſint à *malo Genio* infeliciter, contra *principia* juris noſtri ſanctisſima, (*c*) & contra *Juris Juſtiniani*, cum *theoriã*: tum *praxin* fravdulenter (*d*) eructata: à qvibus *JCtus*, ſi velit eſſe ſaltim *vir bonus*: ſi non *Chriſtianus*: (*e*) abhorrere toto pectore: & ex intimæ mentis penetrali, ad hujjus abſurdisſimi dogmatis avditum exhorreſcere (*f*) debeat: cum qvod eſt *verum, juſtum & æqvum:* id ſit millies millenarum myriadum, immo totius mundi vel *communisſimis opinionibus* præferendum.

(a) *Qvam-*

(a) *Qvamvis in eo jaciendo ipſiſmet inter ſe non conveniat. Si enim nolunt id procedere: qvando opinio* contra communem *fulcitur melioribus, & validioribus rationibus: qvando juſta aliqva cauſſa ſvadet, ut recedatur* à communi: *utpote ſi ſingularis ſit* favorabilis, & æqvior: *vel ſi ſit munita* avctoritate S. S. Scripturæ: *Si communis poſſit probabili* ratione convinci: *qvod vult* Menochius *d. loc. num.* 23. 24. 25. 27. 30. & Gabriel. *d. loc. num.* 29. 30. *nulla mihi cum ipſis erit controverſia: dummodo* Communis *illa* Veritati, Rationi, Juſtitiæ & Æqvitati *cedat: qvod hic præ ſe ferunt* Menochius & Gabrielius: *qvando qvod* Communi *dederant in regula* opinioni: *id mox eidem in ſubjectis ſubtrahunt exceptionibus.* (b) *Qvas enim pro* Communi *firmanda* Menochius *adfert leges: nihil ad rem faciunt: cum l. Senat. ne hilum qvidem de* communi opinione *teneat: Et licet l. pr. off. qvæſt. faciat* crebrioris opinionis *mentionem: nihil tamen illa* opinio, *qvæ ibi pro* fama antiqviore, *in qvæſtione* facti: *qvis Regum Rom. primus Qvæſtores in Remp. induxerit, ponitur, ad hanc noſtram theſin facit: qvæ* opinionem *in Qvæſtione* juris *pro lege venditat. Idem de l.* Athletas *ſtatuendum: in qva qvæſtio itidem eſt* facti: *ecqvid Athletæ in Rep. Rom.* infamia facti *laborarint, vel pro infamibus à populo ſint habiti? Id qvod negatur & confirmatur* populi teſtimonio. *Ex qvo ſi qvis velit jus facere: id ad* conſvetudines *erit &* Mores *ex totius populi Rom. conſenſu tacite introductos referendum: non autem ad jus ſcribtum: cujus ſpeciem nobis Dd. in ſuis opinionibus obtrudunt: qvæ in vim* conſvetudinis *ſuſtineri, qvod putat falſo* Bartolus, *non poſſunt: qvia ex moribus populi totius: vel majjoris partis, & diuturno illius conſenſu: ſed ex hujjus vel illius* Doctoris *privati arbitrio proveniunt. In l.* ita vulneratus 51. *ad L. Aqvir. agitur de verbi* Occidere *ſignificatu: qvi ſit alius in* uſu ſermonis vulgi, *ab eo, qvi in L.* Aqvilia *receptus. Qvæſtio igitur hic iterum in* facto *exſurgit: ecqvid populus hoc vel illo ſignificatu vocis ſit uſus. Qua diſpoſitio tantum abeſt, ut* communem opinionem *juvet: ut potius communem populi uſum hic rejiciat: & illum probet: qvi poſſit erui ex legis ſenſu. Eadem fere eſt ratio ex l.* qvæſitum 12. §. ſed ſi. 12. Inſt. & Inſtr. leg. *in qva qværitur de ſignificatu* fundi inſtructi legati,

Digitized by Google

ti, *ecqvid ſit amplior: qvam ſi* fundus cum inſtrumento ſit legatus. *Probatur hoc teſtimoio* Sabini, *&* uſu populi, *qvi indies increſcat & invaleſcat. Vocabulorum enim ſignificatio* ab uſu populi *potiſſimum dependet: & ideo in* facti *qvæſtionem hæc iterum demigrat theſis*: ecqvid plus ſit in fundo inſtructo; qvam in fundo cum inſtrumento legato. *Verum qvid hæc omnia, qvæ in nudis vocularum unius, vel alterius apicibus conſiſtunt*, ad Communis opinionis, *qvam peculiarem volunt* Juris Juſtiniani *ſpeciem, qvæ vim Legis obtineat*, fundamenta jacienda *faciunt? Nihil penitus*. (c) *Qvæ ſunt*: honeſte vivere; artem boni & æqvi vere & non ſimulate profiteri: æqvum ab iniqvo, & juſtum ab injuſto ſeparando: neminem lædendo; ſuum cuiq; tribuendo: *contra qvæ omnia inpingit: qvi qvod* minus æqvum, minus bonum, minus verum & juſtum *eſt*, *ex* opinionis Communis *faſcinatq perſvaſu falſo, perperam & inboneſte tribuit*. (d) *Qvod enim* Communis opinio *ſit à* Juſtiniano *expresſis exploſa verbis: & qvod in deciſionibus controverſiarum veteres JCti & Legumlatores non id qvod* communius: *ſed qvod* verius, æqvius & juſtius *adparuerat, ſpectarent: id ſup. hac parte 3. th. 20. pluribus ex* S. S. Scripturæ, *ex incorruptæ* Philoſophiæ, *& ipſiusmet* Jurisprudentiæ *fontibus limpidisſimis ad oculum eſt demonſtratum*. (e) *Cum tamen* tàm Chriſtianus qvàm vir bonus, *ſi velit in Rep. & foro* Chriſtiano *inter* pios & bonos *verſarier, non tantum* videri: *ſed etjam* eſſe debeat. (f) *Ego à primis ætatis juvenilis annis, cum ad hæc ſtudia me contuli, qvoties hoſce pesſime olentes* Doctorum *ructus inter legendum obſendi, cum horrore & admiratione obſtupui: nec unqvam epulas haſce rancidisſimas, qvæ* falſum, injuſtum & iniqvum *in judicando volebant*, vero, juſto & æqvo *præferri, concoqvere potui: inprimis in foro* Chriſtianorum *hæ voces viſæ mihi ſunt intolerabiles: qvi noviſſe debuerant*: Judicem pro tribunali ſedentem, *juſtisſimi & ſeverisſimi omnium, adeoq; Supremi Judicis* Dei omniſcii & omnipræſentis *vicibus fungi; & de reddendis ſententia lata cavſſis illi obnoxium fieri: à qvo qvid alienius: qvam* falſum, injuſtum & iniqvum *fingi potuerit? Cordatisſimos hic* Gallos JCtos Budæum, Baronem, Duarenum,

Digitized by Google

Forcatulum, Cujacium, Hottomannum, Molinæum, Coraſium, Donellum, Connanum, Fabros, Robertos, *& alios, in cœlum, ſi poſſet fieri, lavdibus evehendos arbitror: qvi nunqvam illud in* Italorum *cerebellis fabrefactum ut adorarent* communis Opinionis Idolum *induci potuerunt. Noſtros cur dilavdare non poſſum* Germanos: *in promtu cavſſa eſt: qvod pleriq; omnes, etſi* veritatem, Juſtitiam & Æqvitatem *animadverterunt ſæpius: ad obtutum tamen* Opinionis communis à qva in judicando recedere nefas eſſe credunt, *tanqvam* ad Meduſæ *caput, obſtupeſcunt &* aves Transalpinas *prævolantes, derelicto* Veritatis & Juſtitiæ caſtro, *mox inſeqvuntur. Qvorum qvidem me miſeret & pudet! & qvamvis ſe in viam revocari meliorem, ferre nolunt: & qvi hac in re conantur aliqvid,* oleum & operam *ipſorummet judicio* perdunt: *operæ precium mihi tamen hoc abundanſ ſat erit: qvod illud, qvod* Chriſtianum JureConſultum *decet, dixi: & conſcientiam meam liberavi.*

Vale Lector, qviſqvis es, Chriſtiane: *& in his, ſi lubet, perlegendis* Chriſtianam *mentem indue.*

Adpendix.

Q*Vod in hoc ſæpius inculcavi Commentariolo* : Retortionis *hoc infauſtum dogma hunc in finem à malo invectum Genio: ut ex injuriis , & calumniis atrociſſimis aliæ longè atrociores repullularent: en hujus exemplum tibi propono beningne Lector evidentiſſimum! qvod in hac Republica nuper evenit inter cives adfinitate conjunctiſſimos: de qvo* Facultas noſtra *fuit in conſilium adhibita.* Sempronius *erat delatus à Phormione ſuo vicino & Compatre, ut vocant : ad* Cornelium: *qvod* Arethuſam, *quæ Privigno Sempronii matrimonii nupt*[illegible]*erat , abſentem , coram ſe hac contumelia oneraſſet*: Es hette ſeines Stieffſohns Grosvater ein Diebsſtrick am Halſe getragen. *Qvod cum* Cornelius Mitioni Arethuſæ *patri porro denunciaſſet : hic re cum Genero ſuo* Pamphilo *deliberata, Sempronio vitrico , & conſocero contumeliæ hujus inſimulato, (non præmiſſa inqviſitione , ecqvid hic Sempronius autoritatem hujus contumeliæ agnoſceret) per Notarium & Teſtes* Retortionis *libellum obtulit : cujus hic erat tenor* : Daß er Sempronius durch ſein vnverſchämet vnd vngemelſtert Lügenmaul ihnen vnnd den ihrigen mit ſolchen Worten gewalt vnnd vnrecht gethan / welche ſie ihm in ſeinen Buſem wolten geſchoben/ vnnd ihn für einen verlogenen Mann vnd Dieb / ſo an ſeinem Halſe ein Diebesſtrick billich getragen / oder tragen ſolte / ſo lange halten wolten / biß er ihren Groß- vnnd Schwehervater der contumelien vberführen würde Sempronius *ita* Retortione *pulſatus , cum contumeliam hanc à ſe jactatam fortiter negaret : & ſe tàm* Mitionem *Privigni ſui Socerum, qvàm Nurus ſuæ Avum viros bonos ſemper cognoviſſe diceret :* Retortioni Retortionis *libellum obpoſuit qvidem : ſed tela retorqvenda in* (Phormionem) *Delatorem (qvem* Retortores *ſub nomine* ihres guten Freundes *adlegarant in libello ſuo) in genere (cum qvis ille Bonus Amicus eſſet tunc ignoraret) direxit* : Daß ihm/

durch

durch jhren in der Retortion angezogenen guten Freund / welcher ein leichtfertiger Schmähevogel ſeyn müſte / vnrecht vnnd gewalt geſchehen / welchem als einem falſchen Lügner / Beſchmitzer vnnd Calumnianten er dieſe Injurien in ſeinen Buſem vnd ehrenmörderiſchen Rachen wolte geſchoben / vnnd jhn (den guten Freund Phormionem) für einen ehrvergeſſenen ehrloſen Schelmen vnnd Dieb / der einen Diebsſtrick am halſe zu tragen wol verdienet / ſonderlich aber für einen ſolchen leichtfertigen Geſellen / der zwiſchen Eltern / Kindern / vnd anverwandten guten Freunden Feindſchafft zu ſtifften / ſich bemühete / gehalten haben / biß ſo lang er die auff jhn erdichtete falſche Beſchmitzung / daß er Sempronius deren Avctor beweiſen würde. *Hanc* Retortionem *cum* Mitio & Pamphilus Phormioni *avctori ſuo transmiſiſſent: hic iterum Sempronio Retortionis libellum remiſit acerbiſſimum hoc ferè modo:* Er hette vernommen / wie der leichtfertige Sempronius / was er von ſeines Stieffſohns Haußfraw injurioſiſcher / höniſcher / diebiſcher / ſpöttiſcher Weiſe außgegoſſen / jetzo leugnen wolle; da jhn doch ſein eigen Hurengewiſſen anklagete. Denn welcher leuget: der ſtielet: Wer ſtielet / der huret auch: ſeyn auch gemeiniglich dieſe Stücke gerne beyſammen: Er (Sempronius) hette ſchon vnterſchiedliche Gebot Gottes / biß auff das ſiebende vbertreten: er müſte das achte auch vbertreten: Sein lügenhafftes Maul ſey alt worden / welches die Leute haben lernen kennen: Der rachgierige ehrloſer Neidmacher hette ſolche Wort aus ſeinem ſchelmiſchen Hurenmunde geredet: thete jhm dem ſchelmiſchen falſchen Lügner vnd Calumnianten ſolche Schmehung in ſeinen ſchelmiſchen Hurenbuſem vnd ehrendiebiſchen Rachen ſchieben / vnnd jhn für einen ehrvergeſſenen ehrloſen Hurenſchelmen vnd Dieb / ſo vor langen Jahren den Diebesſtrick am Halſe zu tragen / wol verdienet / ſunderlich für einen ſolchen leichtfertigen Schelmen / der heute etwas redet / vnd morgen verneinet / geſcholten haben / biß ſo lang er jhn würde gerichtlich vornehmen / da er ſolches wolte verantworten.

Adſpicite qvæſo, & adgnoſcite Retortionis *Patroni pulcellos*

 Arbo-

Arboris illius veſtræ maledictæ floſculos! Reliqvi *non penitus ineſcati fructibus hiſce videte: ſed non ridete: potius commiſeramini fortunam Juriſprudentiæ noſtræ: cui tam abſurda adfingitur à* Communis Opinionis intemperie *doctrina!* Si Mitio *ſocer cum Genero* Pamphilo, *prius Conſocerum vitricum* Sempronium *per Nuncios interpellaſſent: ecqvid haſce injurias, qvas* Cornelius à Phormione *perceptas detulerat, adgnoſceret: & ratas habituras eſſet: vel ſi mox illum (qvod tamen parum Chriſtianum) in jus vocatum injuriarum interpellaſſent actione: nonne prudentius, conſultius, & cautius ex Legum præſcribtis egisſent: qvam qvod ex propriæ vindictæ libidine, ut ægrè facerent* Sempronio, *ad hoc tàm inſulſum, & intempeſtivum* Retortionis, *ſi Dis placet, beneficium contra Adſinem patris loco venerandum proſilierunt? Nonne aviem* Sempronius *ſibi, ſuoq; bonori melius proſpexisſet: ſi* Phormioni *dicam falſæ delationis coram Judice ſcribſiſſet potius: qvam qvod* Retortionis *iterum ſub flamine crabrones illius per aliam* Retortionem, *qvæ hoc in caſu tertia, proritavit: & tam exqviſitis à* Phormione *calumniis innocentisſimè proſcisſus fuit? à qvibus ſi ſe liberatum cupit, tandem* Retortionum *ſatur adire Judicem adhuc, ſed læſa jam cauſſa & inflicto dudum vulnere neceſſe habuerit: vel potius ſi ex vulgi* Opinione *hoc nolit: & retorqvere qvarto perrexerit; qvis tandem* Retortionis *hujus floſculorum fructus & finis erit? nimirum hic: ut hæ familiæ duæ Mater, filia, vitricus, privignus, ſoceri, Generi, Nurus, Socrus, & horum adſeclæ inſanabilibus ſe injuriis mutuo conſumant: qvæ tandem à verbis ad verbera: à verberibus ad cædes: & à cædibus ad ineluctabiles calamitates erumpant. Egregiam verò laudem & ſpolia ampla refertis: tu* Opinio Communis: *& vos* Patroni *illius: ſi Rempublicam alias tranqvillam: & ſi familias artisſima inter ſe propinqvitatis neceſſitudine junctas hujjusmodi turbis, odiis, injuriis, vindictæ privatæ ſtudiis, litibus, cædibus, & ſangvinis profluvio fœdisſime maculabitis. Scilicet!*

Tu verò Lector benigne mihi hæc vela mea plurimorum, in diverſas opiniones raptandorum, ventis permittenti, & oram ſolventi

venti

Digitized by Google

venti precare melius ; qvam iſti ; & ex Theognide mecum cane :

οὕνεκα νῦν φερόμεσθα, καθ' ἱστία λευκὰ βαλόντες.

Fluctibus enim qvi ratem dedit : variis & periculoſis qvidem procellis involvi ſolet. Et ſane ut cum eodem cantem denuo :

ἥσω γὰρ καὶ ἐγώ· τὰ δέ κεν Διὶ πάντα μελήσει.

Vale iterum.

BIBLIOTECA NAZ. V. EMANUELE ROMA

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google